




EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.


I
E














SYLLOGES
MEMORABILIVM MEDICINÆ,
ET MIRABILIVM
NATURAE ARCANORVM,

CENTURIA X.

Studio & labore,

JOANNIS RUDOLPHI
CAMERARII D. REIPVBLI-
cae Reittlingensis Medici
ordinarii.

Φθονοςοι δ' ἀμύνοντες ἄτα.



SILBERDINÆ,

Sumptib. EBERHARDI ZETZNERI, Bib.

M. DC. XXIX.

MEMORANDUM
BILLY M. MEDICAL
AND SURGICAL

CELESTINE

Studio & Labor

JOHN W. WOODRUFF
M.D.
of the University of
Virginia

General & Special

PHARMACEUTICAL
PREPARATIONS

BY JOHN W. WOODRUFF

PHARMACEUTICAL PREPARATIONS

M. D. C. X. I.

M
L
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12



MEMORABIL-
LIUM MEDICINÆ
ET MIRABILIUM NATU-
ræ Arcanorum, quæ in hac 10.
Centuriâ continen-
tur,

INVENTARIUM.



- Art. 1. Imperitia Medicorum
in medendo, pœna. Historia
curarum Paracelsicarum.*
- 2. Paracelsius Medicus Epile-
pticus, curari non sult.*
- 3 Podagra exasperata à Paracelso.*
- 4 Paracelsus ex laeso oculo cecum facit.*
- 5 Paracelsus tormina levia vertit in Epile-
psiam lethalem.*
- 6 Alia historia Paracelsica curationis.*
- 7 Paracelsi jactantia.*
- 8 Paracelsi in Galenicos consilia, ejusque
modestia.*
- 9 Imperatoris D. Ferdinandi, de Paracelso
judicium.*
- 10 Quidam sumpto medicamento chymico,
paulò post expiravit.*
- 11 Mercurius vitæ, evadit Mercurius mor-
tis.*
- 12 Magister sum Perlarum corrodit Ventrì-
culum.*

I N D E X.

- 13 *A medicamento chymico, & Medicus & agrotus extincti.*
- 14 *Quidam ex Antimonii usu, herniam Ventriculi contraxit.*
- 15 *Antimonii usu quidam extinctus.*
- 16 *A potu Antimonio auditus deperditus.*
- 17 *Mentis alienatio post sumtum Antimonium.*
- 18 *Antimonii ad purgationes pernecina Vis.*
- 19 *Alia historia, de iis, qui Stibium sumserunt,*
- 20 *Infelix successus croci metallorum.*
- 21 *Omne nimium natura bellum indixit.*
- 22 *Quando maximè studiis indulgendum.*
- 23 *Consuetudinis quantà Vis.*
- 24 *Consuetudo Tyrannus*
- 25 *Cur facies frigus melius, quam reliqua membra ferat.*
- 26 *Proditor consuetam actionem repetit, imprudens.*
- 27 *Consuetudinis Vis mira, etiam in Animalibus.*
- 28 *Psittacus mirè loquax.*
- 29 *Sturnus sibi ipsi pedem luxatum reponit.*
- 30 *Charadrii a vicula mira Vis.*
- 31 *Sal vapores ad se ut trahat.*
- 32 *Nævi in unguibus quid præjudicent.*
- 33 *Annularis digiti sinistra manus præstantia,*

I N D E X.

- stantia, & quare præ cæteris auro de-*
Vinciri mereatur.
34. *Cuticum subjecta carne naturalis ami-*
citia.
35. *Sine cute natus.*
36. *Historia digiti præcisi, & curati levi-*
ter.
37. *Vnâ ligaturâ ingens Vulnus curatum.*
38. *Nasus recens decissus, expeditè congluti-*
natus.
39. *Nullum Vulnus vel minimum conte-*
mnendum.
40. *Adriani Spigeli, Anatomici incompa-*
rabilis, mors ex levi causa.
41. *Exigua Vulnera, immunia sequunt a sym-*
ptomata.
42. *De punctura Vespe, historia singulares.*
43. *Alapâ & pugno mortui.*
44. *Historia notabilis, cultri à rustico de-*
glutiti, & sectione exempti.
45. *Aerea acus deglutita, post 10. annos per-*
furato Ventrículo, extruditur.
46. *Acus mulieris cujusdam genu, in sciè*
& per imprudentiam infixâ, gravis-
sima symptomata intulit.
47. *Conserua vis ad ossa fracta ferrumi-*
nanda.
48. *Rarum & novum compertissimi usus*
remedium, spacio 24. horarum, Vul-
nera etiam nervosarum partium con-
glutinans.

I N D E X.

- | | | |
|----|--|----------------|
| 49 | Ineptè Chirurgi Venis incidendis Vnguentum populneum allinunt. | 69 |
| 50 | Rarum amoris signum. | 70 |
| 51 | Iratu erumpere sanguinem. | 71 |
| 52 | Ex irâ mortui. | |
| 53 | Excandescencia in commoventis humoribus magna vis. | 72
73 |
| 54 | Mulier cur citò incandescat. | |
| 55 | Effectus iræ & descriptio. | 74 |
| 56 | Sapè turbari apertissima consilia non videmus. | 75
76 |
| 57 | Conscientia mille testes. | |
| 58 | Cruentatio occisi à Magistratu. | 77 |
| 59 | Sanguinis è Venâ missi, iudicium. | 78 |
| 60 | Olei pars summa cur valentissima; Vini media; mellis infima. | |
| 61 | Purgante assumpto, gula aut regioni Ventriculi calida non sunt applicanda. | 79 |
| 62 | Mercurius duplex; summum omnis corruptionis & putredinis alexipharmacum. | 80
81
82 |
| 63 | Mercurii probatio.) | 83 |
| 64 | Vt Mercurius sophisticetur. | |
| 65 | Cinguli Mercurialis infelices successus. | 84 |
| 66 | Vitri. Vori temeritatis & insolentia iustas luunt penas.
Mendicantium vaframenta. | 85
86
87 |
| 67 | 1. Historia adulterini brachii. | 88 |
| 68 | 2. de mamma canerosâ eumentitâ, & 3. de ulcere tibiae. | |

69. 4. de

I N D E X.

- 69 4. de Elephanti cum simulante.
- 70 An tenebrae sensu oculorum percipiuntur.
- 71 Gallarum inspectio, post festum D. Michaelis, quid superstitionis habeat.
- 72 Thermarum caloris causa.
- 73 Quibus in locis, ignis subterraneus, aquas praterlabentes calefaciat.
- 74 Unde acitula saporem suum habeant.
- 75 Nota spirituum in aquis medicatis.
- 76 Elleboratum Vinum elegans, & innoxium in πόντος optimum.
- 77 Praestans ἐπιστήμιον.
- 78 Hellebori & Veratri etymon, & cur album potius quam nigrum Veratrum vomitum creat.
- 79 Ellebori albi succus sanguini Venenarum, carni non.
- 80 Singultus remedia.
- 81 Experimentum ad singultum.
- 82 Obstetricum erratum, in praeligando umbilico infantum.
- 83 An Pulmo peculiarem vim movendi habeat. Negatur.
- 84 Affirmatur.
- 85 Ulterior affirmatio assertio.
- 86 Pulmo cur dilatetur.
- 87 An diaphragma sit causa risus?
- 88 Admirabilis Patris ad Esium antipathia.



I N D E X.

- 89 *Esu radicis angelicae sylvestris, Epilepticus factus; folia Sino & dicata.*
- 90 *Anisi & vis in pueris. 2. diuretica.*
- 91 *Ex strictioribus, arctioribusq; infantulorum involucris, gibbositas.*
- 92 *Odiū inter Filicem & Arundinem unde?*
- 93 *Vanitas de Filicis semine.*
- 94 *Plumbum liquatum ut manu tractetur.*
- 95 *Elephantus, ejus genera, nomina & qualitates.*
- 96 *Elephantos venandi multiplex ratio.*
- 97 *Elephantis se mutuò intelligunt: aliquando loquuntur: scribunt.*
- 98 *Elephantis beneficiorum memores, gloria avari, Sindi & cupidi.*
- 99 *Cur Elephas, quo magis est oneratus, eò firmitus incedat.*
- 100 *Cur Elephanti maxime fugiant murem.*

JOAN.



JOAN-RUDOLPHI
CAMERARII, MEDICINÆ
DOCTORIS, MEMORABILIMUM
Medicinæ & Mirabilium Naturæ
Arcanorum,

CENTURIAE X.

PARTICULA I.

*Imperitia Medicorum in medendo,
pæna.*

Sicuti Médico imputari eventus mortalitatis non debet, ita quod per imperitiam committit; prætextu enim humanæ fragilitatis, delictum decipientis in periculo hominis innoxium esse non debet. (a) Ex quo consequitur. Medicum hæc, quæ à nullo sollicito de verâ & genuinâ restitutione sanitatis, ignorantur aut ignorari debent, negligentem & contemnentem, si res mala cadat, suæ temeritati Reipublicæ nocentissimæ imputare & proinde pænâ convenienti coërceri debere. Et quidem, si dolosè egisse compertum sit, gladio ultore ferendus, tanquam sicarius erit. Si verò per imperitiam mactaverit ægrotum,

A 5 tene-

ilepti-

antuo-

divem

tecur.

na &

tio.

: ali-

gloria

tus, eò

t mit-

AN.

tenetur constitutionis Caroli V. Imperatoris, artic. 134. Der peinlichen Hals-gerichts Ordnung / *cujus verba hæc sunt.* Item / So ein Arzt auß vnsleiß oder vnlust / vnd doch vnvorsätzlich jemand mit seiner Artzney tödtet: er sind sich dann durch die Gelehrten vnd verstendigen der Artzney / daß er die Artzney leichtfertiglich vnd verwegentlich mißbraucht / oder sich vngegründter / vnzulässiger Artzney / die ihme nit gezimbt hat / vnterstanden / vnd damit einem zum Todt vrsach gegeben / der soll nach gestalt vnd gelegenheit der sachen / vnd nach Rath der verstendigen gestrafft werden: vnd in disem fall / allermeist achtung gehabt werden / auff leichtfertige Leut / die sich der Artzney vnderstehen / vnd die mit keinem grund gelernet haben. (b) Hinc removendi & ad glaciale Oceanum relegandi sunt circumforanei, impostoresq; illi, (Germani vocant **Thriacksträmer** / **Landstreicher** oder **Landbescheisser**) qui vicatim, sine ullo discrimine (quia haberi debet ratio ætatis & complexionis, præterea non quolibet, sed certo & trutinato tempore Medicina propinanda est, in tempus præterea morbi cœpti diligentissimè inquirendum, idque diligentè contemplandum, quæ cum negligent hi impostores, fieri non potest, quin ipsorum medicamentum potius noceat, quàm prosit) sua indocta medicamenta distrahentes immensam copiam nummorum corradunt. (modo illicito & minimè à Republicâ bene

con-

constitutâ, cui salus populi suprema lex est approbando: unde diligenter hi pollinctores a Magistratu sunt observandi) & sic non oculis tantum, sed & saluti hominum insidiantur. Quatuor autem concurrere debent, ut mors non imputetur Medico, id est, ut non excedat limites suæ professionis, quia culpa est, se immiscere rei ad se non pertinentis. 2. ut sit peritus in arte, quia imperitia culpæ annumeratur. 3. est, ut sit diligens circa curam infirmi. 4. ut edoceat ægrotum de his quæ contraria sunt ægrotudini suæ. Hoc ipso enim Medicus, quod est Medicus offert & obtrudit suam operam ægrotantibus, ergo diligentia exactissimam debet. (c)

a) *Vlpian. in l. c. §. 7. ff. de offic. pres. Iustian. in §. 7. instit. de leg. Aquil.* b) *Dambaud. in prax. rer. crimin. c. 77. num. 24. & 28. Garl. l. 2. obs. 111. num. 26. & seqq.* c) *Sattler. disp. de jur. & priv. Med. th. 22. diast. astrol. c. 6.*

II.

Historia Curarum Paracelsicarum.

Paracelsicus Medicus Epilepticus, curati non vult. Quendam Paracelsicum Medicum miris modis sæpius excruciauit Epilepsia. Interrogatus, cur non uteretur suis illis certissimis & mirificis Medicinis, ex cranio huma-

Memorabilium Medicina

no, sanguine, chelidoniâ, vitriolo, auro & reliquis essentificatis, Salsatis, Mercuriatis, sulphuratis &c. respondit, non quod olim Mahomet ille callidus, se non Epilepticum, sed Enthusiasticum esse, & rapi ad colloquia Deorum, ad montem veneris, vel antrum Patricii, &c. sed simpliciter, nolle curari, sed suo oblectari malo, quod est incredibile, modo sanâ fuit mente & non instar illius, qui liberatus Melancholiâ, ab amicis, pol me occidistis amici, non servastis, ait.

Bernh. Dessen. de cur. paracels. Lib. 8. m. anti - Graman. 1. p. 715.

III.

Podagra exasperata à Paracelso.

D. 25. Maij A. 1570. Cum Pragæ in cubiculo Cæsareo convenissent Medici, Videlicet D. Iulius Alexandrinus, Ego, & Nicolaus Bieffius, accessit nos Generosus Baro, D. Bertholdus à Leippa, Marschalcus Regni Bohem. Cæs. Maj. Consiliarius & Camerarius: ac, cum de Medicis sermo esset, aiebat. Paracelsum, cum primum de illo esset pervulgatum, posse ipsum curare podagricos, à Parente suo D. Ioanne de Leippa, Marschalco Regni & Bohem. magnis sumptibus ex Helvetiâ evocatum. Laboravisse autem D. Ioannem per intervalla: neq; unquam diu lecto affixum fuisse.

Hæf.

Hæſiſſe vero Paracelſum ferè per biennium
Cromaviæ & varia medicamina adhibuiſſe,
ac parentem ſuum planè Arthriticum reddi-
diſſe, atque non multò poſt doloribus ſum-
mis confectum vitam cum morte commu-
taſſe.

IV.

*Paracelſus ex leſo oculo cacum
facit.*

D. Bertholdum etiam, cum leviter oculus
affectus fuerat, ita curaviſſe, ut ne nunc qui-
dem eo oculo videat.

V.

*Paracelſus tormina levia vertit
in Epilepſiam lethaliſ-
ſimam.*

Accerſitū tunc ad Nobilem in primis Fæmi-
nam, conjugem D. Baronis Ioannis à Zerotin,
Filian Generoſi D. à Bernſtain: quæ neq; val-
dè ægrotavit, cum ventris tormina haberet,
neq; Epileptica unquam fuit. Huic verò cum
Paracelſus quædam medicamenta dediſſet,
Epilepſiâ correptam & ſupra 20. paroxyſmos
paſſam, eodem die expiraviſſe.

*Ioan. Crato à Crafftheim ad Eraſt. Eraſt.
diſp. contra Parac. tom. 4 p. 159.*

A 7

c. Alia



Alia historia Paracelsica curationis.

Cum ante annos amplius 30. Theophrastus ille Paracelsus (quem multi nunc laudibus ad astra usque tollunt) in Austriam proficisceretur, à Patritio quodam Augustano ex familia Langenmantelorum, vocatus est, ut uxorem quæ aliquandiu afflictæ valetudinis fuerat, curaret. Cui cum in speciem sanitatem restituisset (nam brevi admodum post tempore à vivis excessit) secundum Lycum adversus Augustam, descendens Landspergam Bojarix oppidum, in quo medicinam ego tunc factitabam, pervenit. Habebam tunc fortè una in domo duas matronas nobiles ægrotantes, quarum altera hydrope, altera Phtisi laborabat. De Paracelsi adventu certior factus Ge. Raunser Chirurgus, statim Nobili D. Sebaldò à Pfteren indicat, Medicum præstantissimum appulisse, cui soli morbos gravissimos quosque curare datum esset. Cum adduci ad ægras Paracelsum mihi nunciatum fuisset, eodem ego quoque propero, non tam ægrotantes visitandi causâ, quam ut vel experimentum, vel aliàs præclari aliquid ex eo discerem, Ingredienti mihi obviam fit Paracelsus Nobili comitatus, imperiosè que satis interrogat, non ipse sim ægrotantiam sceminarum prænominatarum? & quibus nam

mor-

morbis eas putem affligi. Ego me consuluisse
 eis respondi, ac morborum species nobili
 præsenti fideliter aperuisse, simulque quid de
 utraque sperarem exposuisse. Addidi, me ni-
 hil dubitare, quin & ipse (si quidem Medicus
 esset, atque arterias explorasset, urinas inspe-
 xisset, symptomata indiciaque cætera consi-
 deravisset) utriusque morbum facile depre-
 hendisset. Ad quartum conticuit, meque ro-
 gavit, ut unà cum chirurgo in hospitium con-
 cederem, quod & feci. Cum interea dum va-
 rios ibi sereremus inter nos sermones, tussire
 eum ex catarrho animadvertissem, ac virum
 Medicum affectus tales dedecere obiter dixis-
 sem, (quod Galen. ita Medicum (a) insti-
 tuat, ut sese ab omni morbo, præterquam à
 Diaria fortè, ad extremum usque vitæ præser-
 vare possit) sublato poculo, nisi hoc esset, vi-
 num digito monstrans, respondit. Verbum
 ex eo latinum extorquere nullum potui. Po-
 stridie neque ægrotantibus, quas curandas
 susceperat, neque me neque Nobile liberaliss.
 & præclarissimo viro salutatis Monacū abiit.
 Ibi ab Aulicis deductus ad virum, nobilitate
 insignem, cognomento Monachum, qui tunc
 Ducis Bojariæ culinæ præfectus sive Magister
 erat. Illum tùm Ducis Medici D. Panthaleon,
 & D. Alexander Carthauserus, haud infelici-
 ter decocto ligni curabant, ut manifestè jam
 inclinaret morbus. At his dimissis tuta cu-
 ratio Theophrasto commendatur. Eo in cu-
 ram

ram recepto mox unguento ex hydrargyro (quod ei Ioan. Vogt, Scholæ Paracelsicæ discipulus, Augustæ tunc habitans, mihi optimè notus, concinnaverat) persanare tentabat. Verùm Paracelsus, cum ægrotum morti jam proximum videret, pridie quàm moreretur Monaco clam summo mane profugiens, in Austriam descendit, atque ita convalescentem aut ex dimidio curarum culinæ profectum illum interfecit impurus carnifex. (b)

a) *lib. de tuend. Galet.* b) *D. Marcus Recklauu. in Epist. ad Erast. Erast. l. 3. antipar. p. 212. & seq.*

VII.

Paracelsi jaçtantia.

Theophrastus Paracelsus, cum vulgò in Medicorum scholis, tum temporis ferè silentium esset de Chymia & multa in præparatione Pharmacorum meliùs fieri posse animadverteret, ad reformandam Medicinam animam adjecit. Verùm quam reformare voluit, penè cum aliis omnibus scientiis evertit. Primò enim, ut Thessalus ille, se *ιατροβικον* nominavit: ita hic, ad se pervenisse Monarchiam, omnium artium, in præfat. lib. de tinct. physic. scribere ausus est, se arcanorum Monarcham, quem omnes, qui philosophiæ naturalis cognitionem appetant, Itali, Galli, Poloni, Germani, Philosophi, Spagyri, Astro-

nomi

Centuria X.

nomi, ut Ducem sequi necesse habeant, ejusdem lib. c. 1. & 4. haberi voluit: & in præfat Paragra. Avicennam, Galenum, Rhasen, Montagnanam, Mesuen Parisienses, Monspelienfes, Suevos, Misnios, Colonienses, Viennenses, & quotquot Danubium & Rhenum accolunt, Insulas Maris, Italiã, Dalmatiam, Athenas, Græcos, Arabes, Israëlitas, se Monarcham Sapientiæ constitutum sequi jubet. In præf. l. i. de peste, quem Nördlingæ scripsit, libros suos, libris quatuor mille Annorum spacio scriptis præfert.

VIII.

*Paracelsi in Galenicos convitiis ejusq;
modestia.*

Contra passim Galenũ, Avicennã omnesq;
Academicos & Medicinæ Doctores, acerbissimis convitiis prosequitur, & de pestil. tract. 2. Parisienses, Patavinos, Monspelienfes, Salernitanos, Viennenses, Lipsenses, non Professores veritatis, sed confessores mendaciorum, mendaces, non Doctores esse scribit. Qualia convitia in Medicos plurima passim in scriptis suis evomuit: quæ omnia hinc recensere non libet. Quia tamen insigne modestiæ specimen edidit, loco modo allegato, in præf. paragr. p. 199 integrum eum transcribere placet: *Ihr müßet mir nach / ich nicht euch nach / ihr mir nach / mir nach / Avicenna, Galene, Rha-*

Rhasis, Montagnana, Mesue &c. Mir nach/
 vnd ich nicht euch nach / Ihr von Paris, ihr
 von Nompelier / ihr von Schwaben / ihr
 von Meissen / ihr von Cölln / ihr von Wien/
 vnd was an der Donaw vnd Rheinstrom
 ligt / ihr Insula im Meer / du Italia / du Dal-
 matia / du Athenis / du Griech / du Arabs / du
 Israelita, Mir nach / vnd ich nicht euch nach:
 ewer wird keiner im hindersten winckel bleiben/
 an den nicht die Hunde &c. werden. Ich wer-
 de Monarcha / vnd mein wird die Monar-
 chen sein / vnd ich führe die Monarchen / vnd
 gürtet ewere Lenden / wie gefälteuch Cacopha-
 ttus diesen müßt ihr essen. Wie wird es
 euch Cornuten anstehn / so ewer Cacophrattus
 ein fürst der Monarchen sein wird? vnd ihr
 Calefactores werdet vnd Schlotfeger? wie
 dünckt euch / so secta Theophrasti triumphie-
 ren wird? vnd ihr werden in meine Philoso-
 phi müssen / vnd ewern Plinium Caco- Pli-
 nium heissen / vnd ich werde sie / ewern Por-
 phyrum, Albertum &c. in meinem . . . wi-
 schen / mit sambt ewer Gefatterschaft / das wird
 mir zu wegen bringen die vis mineralis vnd
 generatio mineralium vnd was zwischen den
 zweien polis ligt / wird mein Harnisch sein/
 ewer Astronomy / vnd lastaffel kunst in Pilati-
 See zuwerffen / vnd die Alchimien / müß mir
 ewern Esculapium, ewern Avicennam, ew-
 ern

ern
 alle i
 bisz u
 berei
 das
 Spi
 Kön
 fein
 gent
 groß
 ober
 Et u
 Med
 in M
 thero
 eenn
 fert
 timo

Pl
 ptori
 senn
 & d
 sect. 5

ern Galenum &c. Vnd ewere Scribenten
 alle in ein Alkali versieden / vnd in Reverber,
 biß in die hindersten feces verbrennen / vnd seü-
 berer müßt ihr noch gereiniget werden / da nñ
 das Gold durchs Feuer / ihr müßt durch das
 Spiesglas / da will ich sehen / wie ihr vnd ewer
 König gehn Boden setzen / vnd vber den Tufft-
 stein will ich euch pallieren lassen: vnd die Tu-
 gent / als die vierte Säul wird auß euch ein
 groß Spectacul machen / denn die Juristen
 vber keinen Malefactorem erdacht haben / &c.
 Et ut omne odium suum erga antiquam
 Medicinam declararet & asseclorum suorum
 in Medicos alios odium accenderet, nec Lu-
 thero inferior videretur, Canonicum Avi-
 ennæ volumen contemptim exussit, ut re-
 fert Iac. Curio Hofemianus, in Hermo-
 timo.

*Plura de Paracelsi genere, Vita, Præce-
 ptoribus, consuetis, blasphemis &c. Vide
 Sennert de Chym. cum Arist. & Gal. cons.
 & diss. c. 4. Döring. de Med. & Med. l. 1.
 sect. 5. class. 2. cap. 5.*

IX.

*Imperatoris D. Ferdinandi, de
 Paracelsi iudicium.*

Impe-

Imperator D. Ferdinandus, quem à male-
dicentia & falsitate alienissimum fuisse sciūt
omnes boni, Paracelsum mendacissimum &
impudentissimum impostorem, qui cum do-
ctis hominibus nunquam conversari volue-
rit, nominavit, Imperator bis illum accersi-
vit, & cum responderet, se non velle cum Do-
ctoribus colloqui, Doctores sibi posse reser-
vare sua, se non cupere eos docere, nec ab iis
discere nunquam deinceps voluit ad se ad-
mittere. Hæc non solum ego, verum etiam
D. Julius Alexandrinus sæpè audivit. Audi-
vi etiam ab iis, quibus in Pannonia & Au-
striâ notus fuit, per paucos & ferè nullos cu-
rasse.

*Crato in ep. ad Erastum. Erast. tom. 4.
anti. Parac. p. 160.*

X

*Quidam sumpto medicamento Chy-
mico paulò post expi-
ravit.*

Vicini montes nivibus prægnantes, mon-
strum aut potiùs carnificem pepererunt, qui
præpotentem & crudelissimum illum ho-
stem humani generis, Arthritidem videlicet
domare, aliaque mira se præstare posse, impu-
dentif-

dentissime jactare ausus est. Inter montico-
 las & rusticolas tympanistam & tibicinem
 haecenus egit & etiamnum agit, sed postquam
 à Vulcano edoctus fuit, ut ipsius industriâ ex
 margaritis & lapidibus preciosis, ut ille asse-
 rit, medicamenta preciosissima præparare
 possit, Bernam quoque venit, ubi imperitiæ
 & temeritatis suæ specimen singulare & la-
 mentabile edidit, hoc modo. D. Ioan. Franci-
 scus Rex, Pharmacopola, optimus & probus
 Senex, cum per dies aliquot, dolore chiragri-
 co laborasset, malitiosus ille Agyrta (qui an-
 tea aliquoties medicamenta in ipsius officina
 emerat) ad ipsum se confert, & ut horum im-
 postorum mos est, futilia sua & vana ad cæ-
 lum usque extollit. Probus ille vir, vanis istis
 persuasionibus aut potius diabolicis incanta-
 tionibus hujus nebulonis commotus, 1. die
 febr. A. 1620. circa 7. matutinam, potiuncu-
 lam, quam ex margaritis aliisque lapidibus
 preciosis, ô nefandum scelus! arte vulcaniâ
 præparatis, conflata esse ajebat, ab imperi-
 tissimo isto nebulone sumit. Quid fit? sumtâ
 potione, protinus vires totius corporis dimi-
 nuuntur, & paulò post ita deficiunt & intra
 horas circiter 3. postquam pituita nonnihil
 evomisset, visum, auditum, loquelam, mo-
 tum item & sensum ita amiserit, ut sequenti
 die, cum ipsum inviserem, punctiones acicu-
 larum non senserit, atq; in hoc vitæ statu pla-
 cidè

cidè obdormivit, cum post sumtam potiunculam vix 40. horas vixisset.

G. Fabric. observat. L. 5. obs. 37.

XI.

Mercurius vitæ, evadit Mercurius mortis.

Matronam Solodurensis asthmaticam & decrepitam, cum Mercurium vitæ ab Empirico sumfisset, eadem die extinctam fuisse, à viris fide dignis Soloduri mihi sæpius relatam est.

Id. centur. 3. observ. p. 548.

XII.

Magisterium Perlarum corrodit Ventericulum.

D. Woyfelius senior mihi narravit, Episcopum Vratislaviensem, Casparum Logum, Magisterium Perlarum, persuasum à fratre, sæpè porrectum à Paracelsista quodam bibisse, atq; de mortuo tunicas ventriculi nigras & corruptas apparuisse. Eodem eventu usam esse Marchionis Ioannis Conjugem, in qua ventriculi tunicæ planè fuerint erosæ. Rarum certè ullum vitrum, in quo asservatur, tam est firmum, quin erodat, & in cinerem convertat. Longum esset omnia ista persequi, quæ imperitissimè de gemmarum atque auri dissolutione dicuntur.

Crato

Crato in Ep. à Scholtz. 10 ed. ad Mona. 163.

XIII.

*A medicamento Chymico & Medici-
cus & Aegrotus extin-
cti.*

Ante Annos 20. Medicus quidam Tonno-
næ in Sabaudia ad lacum Lemannum medi-
cinam faciens, cum calculoso cuidam medi-
camentum chymicum ad calculum conte-
rendum & expellendum exhibere vellet, æger
verò, à Medicamentis Chymicis omninò a-
lienus, id recusaret, postridie in duplâ quan-
titate id adfert Medicus; & ut æger majori
cum fiducia eo uteretur medicamento, par-
tem unam ipsemet Medicus sumsit, alteram
ægro suo obtulit. Ambo cum hausissent, si-
mul etiam intra paucos dies vitam cum mor-
te commutarunt.

XIV.

*Quidam ex Antimonii usu Her-
niam Ventriculi con-
traxit.*

Trutinarius quidam, Coloniae Agrippinae,
cum ante annos 17. potiunculã ex Antimonio
ab Empirico, & rerum Medicarum imperi-
tissimo homine paratam sumfisset, tum vehe-
menter & impetuose agitur & commotus
ipsum fuit ventriculus, ut herniam ventriculi
inde

inde contraxerit, quâ etiam nunc non sine maximâ molestiâ laborat, uti ego, cum ipsum aliquando inviserem, ipsemet vidi. Quotiescunq; enim corpus inflectit, ventriculus non sine molestia, veluti in saccum excidit.

XV.

Antimonii usu quidam extinctus.

Ante annos 14. D. Eleasar Perialdus, in Scholâ Laufannensi Philos. Professor, cum sibi met præter consilium, D. Alberti Roscii, Medici celeberrimi, simul & mei ipsius bolum ex Antimonio (quod paulò antè se Lutetiâ attulisse, ibidemque à D. Quercetano paratum fuisse, aiebat) parasiet, & sumisset, parùm abfuit, quin eadem die, animam una cum excrementis evomeret: tam vehemens & impetuosa, per superiora simul & inferiora sequuta est operatio: quæ per totam diem duravit. Sequenti nocte doloribus maximis brachiorum & crurum simul & convulsionibus (propter evacuationem maximam & siccitatem nervosarum partium (lipothymia & virium prostratione, propter defectum spirituum vitalium & humidi radicalis) correptus fuit. Ego cum prædicto Medico circa horam 2. noctis accersitus cum essem, protinus seq. potiunculam exhibuimus. Rec. Confect. Alkerm. drachm. sem. Theriac. opt. scrup. un. C.



un. C. Cervi ust. & præp. scr. sem. aq. Cinam.
 Vnc. un. bugloss. unc. c. z. misc. f. potio. Iuscu-
 la caponum & carnis vervecinæ, nec non alia,
 quæ partes nobiles corroborant & humidum
 radicale, Spiritusque vitales instaurant, præ-
 scripsimus. Brachia, crura simul & spinam
 dorsi, seq. linimento calidè inunximus. Rec.
 ol. amigd. d. lil. alb. viol. ana. unc. un. ol. lum-
 br. vulp. pingued. hum. & urs. ana Vnc. z.
 misc. Hoc linimento de hora in horam,
 prædictis partibus inunctis, remiserunt qui-
 dem dolores, nihilominus tamen intra pau-
 cos dies animam Deo piè placideq; reddidit.
 Tùm quia humidum radicale, violentiâ me-
 dicamenti ita absumentum & evacuatum erat,
 ut refici non posset, tùm etiam quia propter
 violentam attractionem medicamenti, à cir-
 cumferentia ad centrum inflammatio in E-
 pate oborta fuerat.

Fabric. centur. 3. obs. p. 551. 550. 548.

XVI.

*Apoto Antimonio auditus deper-
 ditus.*

Biennium est, cum nobilis quædam Ma-
 trona Bernensis, adhuc juvenis & optimo cor-
 poris habitu prædita, de dolore aliquo gra-
 vativo ventriculi, ex cruditatibus orto con-
 quereretur & ob id Medicum in consiliū
 vocasset, protinus ipsi potiunculam pro tri-
 bus

B

bus

bus dosibus, in crepusculo matutino sumendis præparavit. Cum primum haustum sumisset, sequutus est vomitus maximus & frequens. Sequenti die secundum haustum tam violentæ & frequentes sequutæ sunt vomitiones, ut parùm abfuerit, quin vitam cum morte commutaret. Circa vesperam cessantibus vomitionibus paulatim restituta fuit & evasit: tertium enim haustum, qui procul dubio ipsam jugulasset, non sumpsit. Inter vomendum autem, quod notandum, cum tinnitus dolorosus aurium supervenisset, auditum amisit. Medicus nonnulla auribus instillavit, quorum beneficio auditum sinistrae auris recuperavit: auditus vero dextræ, ex quo antea quoque laboraverat, feliciter tamen restituta fuerat, hætenus restitui non potuit. Arbitror enim in ipsis violentissimis vomitionibus membranam tympani, præcipuum instrumentum auditus, disruptam dilaceratamque fuisse. Si enim surditas, ut in vehementiss. vomitionibus fieri consuevit, ex viscido aliquo humore, circa prædictam membranam collecto procederet, maximus procul dubio adesset tinnitus. At hæc ferè nullus. Vomitorium autem nihil aliud, quam vinum infusionis vitri Antimonii fuisse, iudicat gustus ipse. Nihil aliud enim, quam vinum putrum se bibere putabat ægra. Scævissimus deinde vomitus, uti & lipothymia, aliaq; symptomata, quæ supervenerunt, id testantur.

17. Men.

XVII.

*Mentis alienatio post sumtum Ar-
timonium.*

A. 1619. Empiricus quidam idiota & teme-
rarius, hinc in vicinia Medicinam, aut potius
nequitiam suam exercens, Matronam quan-
dam Solodurensis, de dolore capitis con-
querentem, vomitorio suo, sibi in omnibus
ægris familiari, ad cymbam ferè charontis
deduxit. Evasit enim quidem, sed facta est
planè fatua. Lectum non egrediebatur: nec
loquebatur, nisi interrogata, cibum & po-
tum nunquam petebat: esurienti tamen si of-
ferebatur, cum voluptate comedebat, sin mi-
nus, renuebat. In excretionibus excrementorum
eundem observabat ordinem. Noctu erat
quieta, interdiu similiter, præterquam quod
continuò strophium aut linteum aliquod
complicaret, & explicaret denuo, reperitis
vicibus: festucas item & floccos ex culcitris
extraheret & colligeret. Sed admiratione di-
gnum est, adeò obtusi fuisse sensus, ut pro-
pter acrimoniam excrementorum & decubi-
tum in dorsum, nec non negligentiam astan-
tium factum esset ulcus ingens & putridum,
circa os sacrum, & coccigem, ad spinam usq;
ipsam tamen nunquam de dolore conque-
stam fuisse. Mansit in hoc statu vitæ, per men-
ses aliquot, maximâ tandem adhibitâ dili-
gentia,

en-
im-
fre-
tam
tio-
nor-
ibus
eva-
bio
nen-
itus
m a-
avit,
is re-
ntea
ituta
Arbi-
oni-
n in-
tam-
men-
scido
abra-
rocul
allus.
inum
at gu-
m pu-
us de-
; sim-
ur.
Men-

gentia, à D. D. Scharandæo convaluit & aliquandiu supervixit, & integrâ quidem mente.

Idem, centur. 5. obs. 12.

XVII.

*Antimonii ad purgationes perne-
cira. vis.*

Scio multos usu solo Antimonii præparati granorum 4. & in substantia & infusione aliqujus liquoris, sursum ac deorsum gravissimè fuisse purgatos & in morbos longos incidisse, à quibus nunquam extricari potuerunt. Novi Medicum in Republicâ nostrâ, alieno, quam suo periculo cautiozem, simplici confidentiâ hoc medicaminis, in se experiri volentem, eo insalubritatis adactum, ut nunquam pristinum vigorem ac corporis robur recollegerit, sed ad extremam penè animam Antimonium detestatus sit. Novi febrientes, novi Phtisicos, arthriticos, calculosos, leprosâ scabie ac cutis vitiis affectos, ejusmodi centauro medicamine, aut verius mordicatione vomitiones vehementissimas, colicos dolores, diarrhæas, convulsiones, cardiacas syncopas frequentes, in summa, præmaturas mortes inductas fuisse. Atque hæc omnia, quanto promiscuè confusèque, citra rationem Physicam, methodum citra demonstrationes arte inventam, imò cum pudendâ execrabilique Philargyriæ, sub prætextu ju-
sta

ste mercedis, proximorumque calamitate agitantur.

B. Dessen. in defens. med. Set. contra Paracels. c. 40.

XIX.

Alia historia de iis, qui Stibium sumserunt.

Referebat mihi nuper Illustrissimi Principis, Elector. & Palat. Rheni D. Oth. Henrici, & D. Friderici Medicus experientissimus D. Marcus *Reecklaw* / se ex nobili familia, cui fuisset exhibitum, audivisse, visam ei esse animam de corpore exisse, tandem perripisse medicamentum & alvum turbavisse.

2. Affirmavit mihi Marchionis Badensis Philiberti Medicus, se aliquot novisse, quibus ex ejus usu venæ in pectore aut pulmonibus ruptæ sunt: quinque Phtisici perierunt.

3. Pharmacopæi etiam nostri famulus, ut se à peste præservaret, sumsit ipse grana, opinor, quinque. Paulo post erumpente ex ore ac natibus sanguine, sensu & mente amissis tertio die animam efflavit. Hujus generis historias recensere plurimas possem, si res posceret, (a) Imò, si nos Medicorum passim experientiam vellemus coacervare, in justum volumen excresceret Oratio. Audires hunc periisse, nigris globulis ex mercurio, & animam excacasse; illum per turbidum mine-

B ;

rale,

rale, alios per margaritarum & Coraliorum essentias, alios per spiritum vitrioli, quem vidi digitos cuidam prærosisse &c. & ita in aliis. (b)

a) *Eraſtus de propriet. med. c. 65.* b) *Lib. antigram. 1. p. 719. Crato l. 3. conf. 13. lib. 4. epist. p. 406. lib. 3. p. 434. Sult. Andern. de Vet. S. nov. Med. com. 2. dial. 7. Feſin. de abus. Medic. Schenck. l. 7. obs. 219. Paracels. 23. c. 41.*

XX.

Infelix ſucceſſus Croci metallorum.

Fuit aliquandiu nobiscum Chymiater quidam, homo alioquin non indoctus, sed purus putus Paracellista. Is rebus suis fortè desperatis, aut ad rem usque perductis, spe majoris lucri, Francofurtum se contulit, ibique brevi post vitæ & praxeos finem fecit. Habuerat ille puerum pro famulo, quem postea discedens hîc reliquit. Famulus verò ab hero suo (nescio quo titulo) fortè fortuna acceperat pixidulam Croco metallorum plenam, quæq; contra omnes, etiam deploratissimos affectus egregiè prædicare didicerat. Quid sit? mulier quædam ipsius vicina conqueritur de filiola graviter decumbente & suspicionem lumbricorum verita, dosin istius pulvisculi tantopere commendati à vicino sibi ærogari petit. Illa impetrat satis magnam quantitatem

tem pulveris, tantamq; eam agrotanti filiolæ
 quinquenni exhibet: à cuius assumptione
 paulò post gravissima oriuntur symptomata,
 vomitus & dejectiones alvi enormes, concuf-
 siones vehementes totius corporis, insultus
 aliquot Epileptici & dolores in toto corpore
 acerbissimi. Parentes miserrimo hoc specta-
 culo perterriti, & commoti D. Ierem. Mol-
 therum Medicum, accersi curant, sed prius-
 quam adventaret, mortem oppetiit infelix
 ista puella. Cadaver ipsius de consilio Me-
 dici & aliorum fuit incisum & sequentia
 notatu dignissima in eo deprehensa. Aqua
 citrina ore & naribus effluxerat copiosissi-
 ma. Omentum visceribus exemptis fuerat à
 parte inferiori disruptum. Hepar caruleum
 & nonnihil induratum, quasi in aquâ ferven-
 tissimâ fuisset maceratum. Pulmo in dextra
 parte flavescens, vesica fellis præter modum
 tumida, exuberans & repleta sanguine aterri-
 mo. Cor in sinistro parte flaccidum, exangue.
 Ventriculus ad ovi magnitudinem, in quo
 repertus adhuc fuit iste pulvis seu crocus, à
 quo etiam intestina fuerunt tincta & infe-
 cta.

*G. Faber. en ep. ad Guilb. Fabric. obser.
 Fabric. l. 4. obs 79.*

*Omne nimium Naturæ bellum
indixit.*

Omne nimium naturæ inimicum est, (a) destruit enim Elementorum τὴν συμμετρίαν, in qua sanitas consistit, & in qua omnis animalis substantia. Naturaque propria conservatur. Affatim itaque corpus quovis modo mutatum, periculosum est, talis siquidem repentinus motus nimius est, adeoque Naturæ adversus & inimicus. (b) Si quis enim coactus 3. aut 4. dies jejunarit & derepente comedat, moritur statim: quia subitam hanc mutationem Natura non sustinet. (c) Sic qui diutius in carcere tenebricoso detenti fuerunt, occæcantur, (d) si protinus lucidum aerem intueantur: si quis à vehementissimo frigore, statim ad ignem luculentum accedat, animam protinus afflat: nam per frigus & immittitur & intrò se colligit calor natus, qui mox se ad vicinum ignem explicans, diffunditur atque evanescit, ut qui sit exiguus & languidus, (e) Sic nimis studiorum laboribus defessa ingenia corruunt, pondere molestiarum oppressa. Plantæ sanè modicis rigatæ aquis surgunt, quàm multis tabescunt: ita animus mediocri vegetatur labore: nimis opprimitur. Respiant ergò à valido labore: nam vita est labor & remissio. Somnum & vigiliam dedit Deus, hyemem & æstatem, fastos

fastos & nefastos dies; tu etiam arcum remitte, ut habeas, quem tendere possis. Cum animum studiis fatigari sentis, ad corporis gratum exercitium te vertes, nam ut ait Isocrates: *πλησμονὴ ἀπάντων*. Ita instar Organi Musici, dum intensione & remissione sibi concinna redduntur studia, suaviora evadunt. Pythagoras dicebat, cor non manducabis, hoc est, nimis studiorum curis id non exedes. Nec ergo animus anxio studio corpus, nec corpus animum nimio labore fatiget: sed gratâ vicissitudine alterum alterius laborem excipiat. Scripsit Hippocrates, ab exercitio fatigationem, alterius generis exercitio recreari; nam, ut ait Plutarchus, *ἡ ποικιλία τερπνόν*, id est, varietas omnis grata est. Ut enim cultrum uno latere, si perpetuo acuas, hebescit, ita ingenium uni semper reinhians torpescit. Attamen hæc ingeniorum laxamenta, non tales illecebras aspergant, ut quasi Sirenibus, ex nave evocati, Vlysses, hoc est, animum ejusque studium negligamus, sint itaque euncta moderata; *πάν γὰρ τὸ πολὺ τῆ φύσεως πολέμιον*. Præclare olim ad hanc sententiam Alphæus Mytilenæus: *τὸ μηθὲν ἀγαθὸν γὰρ, ἀγαθὸν μετέπει*: nihil nimis nimis mihi placet; & eleganter Phocylides: *πάντων μέτρον ἄριστον, ὑπερβασίη δ' ἀλεινὴ* Modus omnium optimus, excessus autem vitandus est. (f)

a) Hippocr. l. 2. aph. 51. b) Viscer. Galen.
Fuchs. in com. ad alleg. aphor. Emmanuel

*Stupan. p. 463. c) Holler. in comm. d) Gide
centur. 7. nost. memorab. part. 25. e) Viscer.
l. c. f) Heurn. de mod. stud. medic. c. 8. in
com. aphor. cit.*

XXII.

*Quando maximè studiis indul-
gendum.*

Philostratus prodidit, (a) Apollonium
dicere solere discipulis, oportere eum, qui re-
ctè Philosophatur, veniente aurorâ, cum Diis
versari: procedente autem die, de Diis loqui:
reliquum verò tempus humanis rebus & ser-
monibus impendere. Dea quædam apud Vir-
gil ita dormientem compellat Æneam:

Surge, age, nate Dea, primisq; cadentibus
astris

Iunoni fer ritè preces ——— (b)

Etenim,

Tunc vigor intus agit major, tunc pectora
cælo

ingeniis prima luce favente calent.

Inde fluunt sacri latices, studioque perem-
rennes

fons matutino fundit apertus aquas. (c)

Hinc Pegasus fabulantur reclusisse Musæ-
rum fontem, quod, id cum oritur sidus, socio
sole (hoc fit in Aprili & Majo) matutinis ho-
ris, aptissimè tractentur studia & pleno fonte,
quod tunc se effundant ingenii vires. Et nos
in Au-

in Auroræ horis, sacra faciemus Musis: nam hæ Musis sunt sacra. etenim divina illa nostræ mentis aura, spiritusque Palladii, (hoc est cerebri) cuncti, ab omni fædo vaporum incursu, his horis sunt liberrimi, nec ullo maldore polluuntur. Commodæ sunt & horæ ante cænam, Italibus admodum ad studia expectatæ, iam soluto ab officio stomacho. Et summa cautio adsit, ne studium ineatur, dum in ciborum mitigatione stomachus fatigetur: expirat enim ita in mentem vapor, qui illam caligine obnubilat, quem sæpè bibens mens, hebetata, splendorem pristinum exuit, indeque ingenia tandem in stuporem flaccescunt. (d)

a) *de Vita Apollon. Thyanae. l. 8, c. 3.* b) *l. 8. Aeneid.* c) *Lorich. l. 2. Carm. p. 171.* d) *Heurn. de modo stud. medic. c. 8. Læg. l. 1. epist. 55. Macrobi. l. 7. Saturn. c. 4. & 5. Cent. 2. nost. mem. part. 11.*

XXIII.

Consuetudinis quantavis.

Consuetudo est vis quædam usu ascititia, quæ eadem pati aut agere inoffensâ naturæ œconomia licet. Non temerè hæc vis est mutanda; quod natura assuetis gaudeat. Elucet id in alvinâ Oeconomîâ: qui enim duris cibis assuêvere, hos facillè superant. Causa ejus rei hæc est. Quia id quod coquit æquè alteratur, ac id, quod coquitur: quare assueti facillè co-

B 6

quæ

quantur, nam naturam non afficiunt, sed faciunt, ut ea suo statu conservetur, familiaritate substantiae & occurrentis qualitatis. Nam longâ die inita his est familiaritas quædam & similitudo. Et similia facilè se alterant & mutant. Quanta vis sit consuetudinis, probat Galen. (a) exemplo Arrii Peripatetici, qui, cum gracilis naturâ esset, & os ventriculi ejus ex frigore langueret, ita ut, vel ex levissima refrigeratione, singultum incurreret, & ob id nunquam ausus fuisset aquam gustare, tandem febris occupatus, atque à Medicis coactus frigidâ uti. (quamvis alii, nisi hæc propinetur, extinguantur) subito fuit exanimatus. Magna profectò consuetudinis vis. Quibusdam tanta clysmatum consuetudo est, ut in eorum inediâ alvus sui immemor stupescat, nec cedit aliis remediis. Hoc Duci Albano evenit, cui, (ut nobis retulere ejus Medici) sine enemate non respondebat alvus: nam sui quasi oblita natura, totam se Medicinæ familiari concrediderat. (b)

a) l. r. de alim. & lib. de consuet. b) Heurn. in explic. aph. 50. l. 2. l. 3. M. M. c. 19. & l. 7. instit. med. c. 3.

XXIV.

Consuetudo Tyrannus.

Magnus Naturæ Tyrannus est Consuetudo, quæ sensim irrepens, tota gubernacula hujus Oeconomiae sibi tandem adscribit, nec irato

irato cedens genio : cujus leges non solum e-
 vertere, sed & ablongare interdum videtur,
 ut non temere Cretenses olim, se abunde di-
 ris devovisse existimarunt illum, cui delicias
 pravæ consuetudinis imprecarentur. Ita mo-
 desto voti genere, efficacissimum ultionis e-
 ventum reperiebant. Grave profectus assue-
 tudinis pondus : Mithridates venena assuetu-
 dine vorabat, adeo ut captus à Pompeio Ma-
 gno, in carceribus, veneno se interimere non
 potuerit. Puella, inquit Albertus, araneis vi-
 ctitabat. Quod nec ratio, nec Philosophia
 persuadere possunt, his par est consuetudo.
 Darius cum intellexisset, Indis familiare esse,
 vitâ defunctos parentes, solenni quodam ritu
 vorare, quod putarent ad pietatem pertinere,
 viscera, ex quibus prodierant, iterum (mutuo
 officio) suis visceribus condi : conversus ad
 præsentem quosdam Græcos, rogat, quanti
 emere velint hanc consuetudinem Indorum ?
 respondebant, longè illam immanitatē à suis
 abesse, nulloque precio eò abduci posse,
 mox conversus ad Indos, persuadere vo-
 luit, ut Græcorum more, rogo parentes mor-
 tuos cremarent. Ad quam vocem, mirum,
 quæ trepidatio & impietatis execratio apud
 hos enata fuerit. Cum itaque nec ratio nec
 Philosophia frenare consuetudinis vim po-
 test, non mirum, ejus habenis humanum cor-
 pus trahi Propterea scripsit Hippocrates, (a)
 cottidianis laboribus assueti, etiam si invalidi

ed fa-
 liari-
 Nam
 am &
 & mu-
 at Ga-
 qui,
 li ejus
 ssima
 ob id
 , tan-
 oactus
 opine-
 natus.
 iibus-
 , ut in
 pescat,
 lbano
 edici)
 am sui
 e fami-
 Heurn.
 7. in
 suetu-
 nacula
 it, nec
 irato

sint, aut senes, insuetis, quamvis robustis & juvenibus, facilius consuetos labores ferunt. (b) Causa verò facilis tolerantia, quæ à consuetudine laborum nascitur, duplex est, quia robur partis exercitatae, auctius redditur, propter duritiem ac soliditatem articulorum, tendinum atque ligamentorum, quam ex attritu mutuo per exercitia accipiunt: plus etiam caloris & spiritus, qui motu fit excitatior, ad eam partem transmittitur: facilius quoque fit extensio fibrarum in musculis, quia promptius ad eam figuram, quam sæpè acceperunt, trahuntur, idque sine dolore, ideo Celsus ait: ignavia corpus habet, labor firmat. (c) Quin etiam, quæ jam pridem sunt assueta, minus gravare consueverunt, quamvis pejora sunt iis, quæ familiaria non sunt: quare ad consueta iterum facienda mutatio. Ita habent antiqua Exemplaria $\kappa\epsilon\iota\varsigma\ \tau\omicron\varsigma\ \sigma\upsilon\nu\eta\theta\epsilon\alpha\ \mu\epsilon\tau\alpha\beta\acute{\epsilon}\lambda\lambda\epsilon\iota\nu$: non autem $\kappa\omicron\sigma\upsilon\nu\eta\theta\epsilon\alpha$, ut vulgati textus legunt. (d) Dionysius tyrannus obsidione oppidanâ pressus, cum à sibi assueti potu aliquantulum abstinuisset, exemplò tabescere cepit. (e) Narratum est nobis exemplum cujusdam barbitonforis Lipsensis, ni fallimur, cui consuetus potus in prandio Cænave erat, septem cantharorum Lipsensium. Huic in febrim illapso minuere Medici pocula volebant, & unciatim instillare sat tenuem cerevisiam. Sed ille vix detrahi partem tertiam sibi passus est. (f) Non assuetis
Phar-

Pharmacica & Phlebotomia gravis est. (g)
 Quantum autem robur sit assuetudinis, ele-
 ganter narrat Theophrastus: Thrasias, inquit,
 manipulos totos ellebori esitabat. Et Eude-
 mus chius unâ die, in foro sedens, 22. ellebo-
 ri portiones accepit, nec tamen à suis vasis sur-
 rexit: tum verò abiit lotum atque cœnatum,
 uti consueverat, nec evomuit. Ita paraverat
 se longâ assuetudine, paulatim crescente el-
 lebori mole (h) Historia quoque percele-
 bris Atticæ anus, cicutâ absque detrimento
 vescētis docet, quoo quis & venenis assuefieri
 possit. (i)

a. d.) aphor. l. 2. aph. 49. & 50. b. e. g.)
 Heurn. l. 3. M. c. 19. Plin. l. 25. c. 2. Sebiz. 118
 disc. de serpente. L. iij. a. Galen. l. 1. de
 antid. c. 1. Arist. l. 1. Rhet. c. 11. c. i.) Galen.
 l. 3. simplic. c. 18. Viscer. in com. cit. aphor.
 Lang. l. 1. epist. 69. Scholtz. epist. medic. 248.
 edit. post. Gogl. de pror. vit. p. 66. f) Libav.
 de cruent. cad. p. 217. h) l. 9. de plant. c. 18.
 Neander, in syntagm. de Medic. orig. p. 62.
 Sebiz. de acidul. diss. 9. sect. 2. coroll. 3. pœ
 sit. 13.

XXV.

*Cur facies frigus melius, quam
 reliqua membra fe-
 rat.*

Miramur in quibusdam regionibus homi-
 nes, vel omninò, aut ex parte nudos vagari,

NEC

nec frigus curare, aut eò offendi, præsertim in locis frigidioribus, ut Hybernia, ubi quoque brachiis & pedibus nudis, per abstrusa illius loca incolæ incedunt; & licet in Americâ cælum temperantius sit, sine dubio tamen, aliquando etiam, noctu præsertim, gelidum, ut etiam apud nos, in ipsis canicularibus fit. ita ut Consuetudo hîc quoq; multùm possit. Quæ facit, ut facies nostra detecta, quæ non minus, rara, mollis ac reliquum corpus & sensilis, frigora tamen perferre possit.

Plater. quest. physiol. parad. 5.

XXVI.

*Proditor consuetam actionem re-
petit imprudens.*

Nostratibus hominibus sæpè inter pocula redeunt consuetæ furia. Succurrit lepida quædam historiola, ejus qui deferre alios assuetus, inter pocula connivens, seipsum ut forer prodidit. Alunt respUBLICÆ quædam delatores, quos vocant consiliarios secretos. Ex horum numero unus, cum benè potus ad mensam dormitaret, tanquam coram magistratu, incepit nominare socios, in eadem mensâ cōpotantes & crimina deferre. Et licet admoneretur, ut si prodere vellet, suo loco id faceret, tamen abstinere non potuit, donec cum sella in pavimento prostratus evigilavit. Tanta vis est assuefactionis, ut etiam insciis in vitis que redeant commotiones.

Corv.

XXVII.

*Consuetudinis Suis mira, etiam in
Animalibus.*

Consuetudo est Natura quædam, ut & mansuetactio bestiarum, quibus videmus recurrere sua sponte motum consuetum, ut isti Sturno, qui assueverat pronunciare hæc verba; Cave tibi à consortio pravo: quæ ipse, cum evasisset caveam & inter alios ruri captus fuisset, venatori occinit more solito. Idem de Corvo sutoris legimus. Cum ex Actiacâ victoriâ reverteretur Augustus, occurrit ei inter gratulantes quidam, corvum tenens, quem instituerat proferre hæc verba: Ave cæsar, victor Imperator. Miratus Cæsar tam officiosam avem, viginti millibus eam emit (hoc est. quingentis aureis solatis, Rob. Cenalis) multasq; præterea similes comparavit. Quo exemplo motus pauper sutor, instituere ipse quoque aggressus est Corvum, ad parem salutationem, sed impendio exhaustus ad avem non respondentem dicere solebat, opera & impensa periit. Cœpit tamen aliquando Corvus optatam salutationem exprimere, ac fortè auditâ, dum transiret Augustus, respondissetque, satis talium saluatorum habeo domi, superfuit Corvo memoria, ut & illa, quibus dominum querentem solebat audire, verba subjungeret, opera & impensa periit. Ad quod subridens Cæsar, emi avem iussit, quanti nullam aliam

liam

Corv-



liam emerat: nempe redeunte ad motum solitum linguâ, cum neutiquam intelligeret censuram aut verba Augusti.

Lib. 8. πειρὶ ἀμαρτοδείξ. p. 333. Et seqq. Macrob. l. 1. Saturn. c. 4. Gesner. de Avibus p. 324.

XXVIII.

Psittacus mirè loquax.

Nuper Amicus quidam recitavit nobis jucundum de Psittaco historiam: quem aiebat Londini in Anglia è palatio Regis Henrici VIII. in præterlabentem fluvium Thamefin decidisse, & voce consuetâ iis, qui quantumcunque precio (ut in periculo aliquo constituti, aut alii etiam joco) portitorem ex oppositâ ripâ vocant, a bott a bott for e^Wentye pol^Wnd: quod est, Cymba, Cymba, vel pro viginti libris, quam sæpissimè enunciari audierat & tum commodissimè meminerat, exclamasse. Eâ excitatum portitorem quendam, properè adnavigasse & sustulisse avem, & Regi (ad quem pertinere agnoscebat) reddidisse, tantum mercedis sperantem, quantum avis promiserat. Rex pactus est, ut quam avis interrogata denuò mercedē dixisset, acciperet, placuit, respondit avis: Gibe the Knabe à grott: id est, da nebuloni solidum.

Martialis.

Psittacus à vobis aliorum nomina discam:
hoc didici per me dicere, Cæsar ave.

Autor.

Autor Philomela.

Psittacus humanas depromit voce loquelas,
atque suo Domino, *χῆγε* valeque fonat.
Gesn. de avibus fol. p. 693.

XXIX.

*Sturnus sibi ipsi pedem luxatum
reponit.*

Experientiâ deprehensum est, Sturnum sibi
ipsum Medicinam facere. Cum enim quidam
Lusciniâ simul & Sturnum aleret, & huic pes
luxatus esset, ova formicarum, quibus ve-
scuntur lusciniæ, Sturnus rostro minuit: & de-
posita sub alis atque calefacta, rostro ad pe-
dem attrivit. Quâ ratione intra paucos dies
integer ut antea, incessit, ut G. Fabricius, suis
ad nos litteris testatus est.

Id. ib. p. 716.

XXX.

*Charadrii avicula mira
vis.*

Charadrios à voragine vel voracitate, vilis
avis, quæ credebatur visa Ictericum solvere,
propterea venditores occultabant, ne empro-
res conspectâ ave curarentur, priusquam e-
missent, ut autor est Euphronius. (a) Inde
nomen ei, qui rem vilem quasi magni precii
occultat & dissimulat. (b) Plutarchus putat,
invidiam imaginatione proprium tabefa-

ccre

cere corpus & etiam contaminare alienum: caussamque harum rerum refert ad effluvia, quæ ex tali surgentia corpore, ad alios & perveniunt aliosque lædunt. (c) Respondet, quamvis Charadius avicula attraheret bilem, tamen non liberaret à morbo, qui est obstructio & intemperies hepatis. Et quomodo effluvia ad se traheret Charadius, etenim oculis connivet & caput sub alis condit. (d)

a) Gesn. de avib. p. 246. b) Erasmi. in a. dag. p. 568. c) l. 5. probl. 7. d) Heurn. l. 3. instit. c. 6.

XXXI.

Sol vapores ad se ut trahat.

Sol calefaciens hæc inferiora trahere ad se dicitur vapores & exhalationes, non vero tractu, ut nimirum motu, quo Sol movetur, eodem etiam vapor moveatur, sed quod vapor propter Solem incalescens, isto calore suapte naturâ in sublime efferatur, quemadmodum etiam Naphta dicitur ad se trahere ignem, quamvis non attingens ignem, sed remotiori loco ab igne distita, nihilominus inflammatur. Ob id Dioscor. Naphtan ad se trahere ignem scribit, nam facillimè inflammatur, ut calore ignis non multo affecta & alterata mox inflammatur, quemadmodum aliàs extincto elychnio sebatio aut cereo lumine, si propius ad ignem adhuc fumans adhibea-

hibeatur, mediante fumo illo facilius accenditur rursus, non quod extinctum motu locali ad se rapiat flammeum ardorem ignis remotioris.

Iac. Scheck, disp. phys. p. 198.

XXXII.

Nævi in Unguibus quid præjudicent.

Maculæ sunt excrementa cordis, est enim Cor validissimum viscus, quod à se noxia omnia propellit, sed minus nobilia membra cum conatu & invisibiles: quæ in unguibus eveniunt, maximè visibiles, quia transparentes, unde in his & oculis facilius observantur. Vnde, quando ex aliquo intenso & vehementissimo timore, labore, mæstitia, con nobilissimum membrum obsidetur, suam pellitur robustitate. Si atriliaris humor, nigras maculas ejicit & cætera, sed præcipuè in annulari, ibi enim ex corde venæ sunt, ex hoc Medicorum jussu, aurei annuli in eo gestantur digito, ut cor lætificetur, unde prius adversa, postea maculæ ostenduntur, sed ob observantium imperitiam non animadvertuntur: nam maculas videndo, suarum ærumnarum meminerint præsentium & futurarum. Sed ego ex paternâ hæreditate, cum adversa aliqua & maximè melancholica paterer, unde exilia & persecutiones sufferrem, nigerrimæ maculæ
in un-

quibus per totum septennium apparuerunt, ob sollicitudines, labores, honoris timorem & exilia, quæ sustinebam, quæ jura cum molestiis evanuerunt & hoc verum observavi. Albæ nimirum ex phlegmate, cum corpus eâ redundat & maximè in unguibus emergunt, cum corporis partes cæteræ non ita conspicuæ, cum phlegmaticis considerationibus stimulamur. (a) Medici quoque colorem unguum observare solent, nam ungues, deficiente cordis calore palleſcunt, & frigidioribus temperamentis pallidiores sunt. At quibus calor justus est rubescunt. (b)

a) *Bapt. Porta de est physiogn. l. 5. c. 14.* b) *Bartolin. l. 4. Anat. instit. c. 1.*

XXXIII.

Annularis digiti sinistra manus præstantia, Equare præ cæteris auro de vinciri mereatur.

In articulari morbo & coxendico, qui vere & autumno viget, vis ac facultas naturalis, humores in corpore coacervatos à partibus robustis ad imbecilles propellit. Sic observavi in Gallia Belgicâ, complures chiragræ ac Podagræ obnoxios, quibus omnes articuli acerbissimo dolore, tumoreque erant inflati, illo tantum sinistro manus digito illæso, qui infimo proximus est. Is quidem ob cordis vici-

vicinitatem, ac consensum, nihil sensit incommodi. Nec est, quod ex hoc morbo quisquam mortem extimescat (à cæteris enim sunt immunes, modo ne ficosi sint, ac venereâ lue contaminati) nisi circa sinistrum pectoris sinum, cui cordis turbinatus mucro subest, humorum colluvies decumbat, digitusque annularis nodosus efficiatur atque intumescat. Hæc siquidem, ubi fieri incipiunt, luxati vitali robore, vigor labascit, omnisque animi & corporis vis concidit. Hinc igitur mos inolevit apud veteres, ut is digitus auro insigniretur, talique gestamine decorus esset, potius quam cæteri: quod tenuis quidem arteriæ ductus, (a) non nervi, ut Gellius (b) existimavit, à corde ad hunc digitum porrigatur, cujus motum in parturientibus, ac delassatis, omnibusque cordis affectibus, indicis attractu manifestè percipis. Nec sanè id cuiquam absurdum videri debetur, cum animi defectu collapsos erigere soleam, vellicato hoc articulo, aurique, cum momento croci, attritu, per hunc enim vis quædam refocillatrix, quæ illi insita est, ad cor dimanat, vitæque fontem, cui is digitus connexus, implicitusque est, recreat. Quapropter præ cæteris illum honorem promeruit, auroque decorandum censuit antiquitas. Hujus quoque dignitas, quam à corde consequitur, hoc effecit, ut veteres Medici, à

qui-

quibus etiam nomen (c) obtinuit, medicamenta ac potiones illo (d) commiscerent. Nihil enim venenati vel extremis ejus radicibus adherere possit, quin homini infestum sit, utriusque cordi commiscetur. (e)

a) Hoc controvertitur. Dicitur παγάμε-
 & δακτυλιώτης, annularis, ob continuam
 annulorum in eo usum, cum plerisque opinio-
 ne persuasum fuerat, edoctis ita ab Aegy-
 ptiis, quasi de hoc solo digito Vena quapiam
 peculiariter ad cordis interiora derivare-
 tur, gratiâ cujus cordis substantia, ob auri
 familiaritatem, quam in vicem conjunctam
 habent, magis magisque corroboraretur, quod
 tamen falsum, & anatomie repugnans, &
 consuetudini magis ascribendum scum reli-
 quis digitis aequè ac tertio huic non Vena sed
 arteriola sua, ab aorta brachialis ramo, ζώνη
 ἐνεκα largita sit. G. Graëc. in exam. theat.
 microcosm. class. 1. sect. 6 Bartol. instit. anat.
 l. 4. c. 1. b) l. 10. noct. Att. c. 10. c) ἰατρικόν,
 digitus Medicus, cordis digitus, & pos. similis
 sinister. Vesal. l. 1. p. 208. Mach. Dresser. l. 1. de
 part. corp. hum. p. 54. d) Laurent. l. 5. ana-
 tom. c. 8. e) Lemn. de occ. nat. mirac. l. 1. c. 11.

XXXIV.

*Cuti cum subjecta carne naturalis
 amicitia.*

Cuti cum subjectâ carne, naturalis quæ-
 dam amicitia coit, ut ægerime sanescant,
 qui-

quibus omnino illa excidit: facillimè ubi in-
columnis servata est. Mirum, quod præcisa
sed loco suo reddita coalescit, recipit spiri-
tum & quasi mortua reviviscit: quodque è
plâga, livore ducto, non in juvene solo, sed
etiam senè, vividum colorem recuperat. Ma-
gna igitur in vulneribus cutis habenda ratio,
neque ob id solum, quòd inde celerius gluti-
natur vulnus, sed quia interjectâ cute pluri-
mis juvatur, quæ nuda caro non perferat.

Holler. instit. chirurg. l. 2. c. 5.

XXXV.

Sine cute natus.

Ludovicus, Vladislai Jagellonis F. Casimi-
ri Poloniæ Regis Nepos, Vngariæ & Bohe-
miæ Rex, sine extremâ cute, quam *ἐπιδερμίδα*
vocant, editus est. Arteque & inunctionibus
ea producta, vel adolescens canos aliquot a-
lebat capillos. (a) Quod sinistri ominis lo-
co à quibusdam meritò reputatum, quando-
quidem & eventus ostendit, in ætatis flore,
vitâ & regno semel spoliatus, (b) copiis
suis ad oppidum Mohazium, medio loco po-
situm inter Budam, & S. Ecclesias (Belgra-
dam) à Solymanni exercitu fufis & cæsis fugâ
salutem quæsiturus, in vicinæ paludis lutu-
lento gurgite depressus & soffocatus interiit:
die 29. Aug. 1526. (c) Sunt, qui tradiderint
appetentem equum ripam, retrò actum super
C Regem

Regem incidisse, itaq; illum oppressum. (d) Dehiderata sunt 15. millia Christianorum, & Buda, Antiqua Regum Vngariæ sedes, per deditioem à Turcis occupata est. (e) Regnare cœperat 10. ætatis anno: Nuptias cum Ferdinandi Imperatoris sorore Maria A. 15. celebraverat: & 20. anno æt. periit. (f) Mortem violentam (quod in gratiam cultorum Astrologiæ judiciariæ appono) ex equo præcipante portenderunt, Sol, Hylech cum Hercule, & Luna cum corde Scorpii, stellis fixis violentis, Venus Domina 8. & 1. domuû, juncta Soli, in cæli Medio. Mars in duodecima, domo cadente, cum stellis de nat. Saturni & Iovis, Argonavis. (g) Præcessit obitum, Eclipsis Lunæ, in 18. Cancrî, quem locum, tempore nativitatis, Sol, Hylech sive vitæ significator, occupaverat. (h)

a) Schenck. l. 5. obser. 173. ex Sambuc. in append. Bonfin. Porta l. 2. de hum. Physiogn. c. 56. b) Iessen. anatom. p. 21. b. c) Bucholtz. indic. chronol. p. 518. Thuan l. 1. histor. Sledan. comment. l. 6. Leunclav. pand. rer. Turc. c. 216. § 221. d) Camerar. apud. Manl. in loc. com. p. 57. e) Bunting. chron. p. 486 ex Paul. Iovio. f) Crusius part 3. annal. Suev. l. 11. c. 1. g) Origan. part 3. ephem. c. 24. Garcaus de judic. nativitat. c. ult. p. 366. § 379. h) Vid. Schönf. in prognost. anni 1591.

Histe.

XXXVI.

*Historia digiti praecisi, & curati,
leviter.*

Puer quidam, patre scrinario alibi occupato, ad opus accessit, volens nescio quid peracuto cultro levigare, sed declinans ille à materia, minimum digitum trajecit transversum, atque ita magnam partem abscidit penitus. Ille exterritus animo ita sanguinem cohibuit, donec abscissam partem correptam subito apponeret mutilatæ, & circum circa glutine (cujus lebes paulò antè à Patre usurpatus, adhuc calens, cum materia astabat) oblinaret, obligaretque. Factum ita est, ut partes divulsæ spacio 21. d. compingerentur, cujus vestigium postea per omnem vitam mansit, nempe circulus totum digitum ambiens.

XXXVII.

Vnâ ligaturâ ingens vulnus curatum.

Nobis hoc accidit. Incideramus aliquando in pernam suillam apud amicum quendam. Hanc divisuri, non contemnendo vulnere consecuimus pollicem sinistrae manus, carnemque cum cute, & vasis, ab osse separavimus, usque ad articulum, secuta est magna hæmorrhagia, ut pote sectâ venâ. Nos asperso Zuccaro vulnus obligavimus, atque ita unâ

C 2

perpe-

perpetuâ ligaturâ integritati restituimus. Obligatio enim cohibuit hæmorrhagiam, calorem & spiritus coercuit, aerem corruptivum prohibuit, & alias injurias obfistentes unitio- ni avertit. Hæc autem præstat, non quâ obligatio est, sed qua consequuntur istam & comitantur dicta, seu qua interventu obstantis materiæ arcetur noxium & naturæ vis unitur, calore servato, alioquin sufficeret vel simplici filio ligare, aut quavis materia. Iam autem requiruntur idoneæ fasciæ & certus ligandi modus.

Lib. 6. περί ὀπλιατρίας pag. 52. & 66. Minderer medic. milit. c. 9.

De Si Zuccari in vulnusculis, vide centur. nostr. 8. part. 88.

XXXVII.

*Nasus recens decifus, expedita
conglutinatorus.*

Cuidam decifus Nasus, quâ os in cartilagine- nem desinit. Rusticus propendentem partem alteri digitis conjunxit, herbam tusam & è vino nigro tritam, quod Millefolium appel- lant impegit, rudiùs omnia colligavit, unde celeriter restitit profluens sanguis, & vulnus pulchrâ cicatrice brevî coit.

Holler. l. 2. instit. chir. c. 5.

Nullum

XXXIX.

*Nullum vulnus vel minimum con-
temnendum.*

In parvo & recenti vulnere fasciola in orbem nexa satis esse potest, & quæ cultellis cibarius fiunt, solo suctu, qui partes colligat, sæpius coalescunt. Alia vulgari therebinthinâ illita (quæ abietina potius vocanda est) & injectâ fasciolâ celerrimè committuntur. Verùm nullum omninò vulnus, vel minimum, contemni debet. (a)

1. Ab exiguo & planè despicabili vulnere, in volâ sinistrae manus accepto, quod vix subditam cuti carnem contingeret, Ludovicum Vivem, Senatorii ordinis hominem, eâ in curiâ, quæ apud Monspessulum est, quam vulgò Generalium vocant, intra 7. diem convulsione derepente ortâ decidisse vidimus.

2. Avenione Marcum Sobiratum, spectatæ virtutis ac summæ spei juvenem, ex calcanei vulnere levioere, quàm ut quid mali ex eo speraretur, mortuum 17. die, accepimus: quo tempore ex eo loco digressus, in aulâ agerem. (b)

3. Tradunt M. Antonium de Luna Bononiensem ex levissimo vulnere cubiti periisse.

4. Observavimus Patavii ex vulnere minimi digiti, Ioan. Baptistam Argentinum decessisse.

C. 3

5. Pe-

5. Petrum quendam Sutorem, ex puncturâ acus, inter unguem & carnem pollicis dextræ manus inflictâ, obiisse, Ludovicus pater testatus est. (c)

6. A. 1598. Rusticus quidam propè Lusannam, tractando spinas, malleolo spinam sibi infixit. Neglecto morbo & maturè nimis clausâ puncturâ exortus est dolor: mox sequuta est inflammatio & gangræna: tandem sphacelus totam tibiam invasit atque occupavit. Cum verò abscissionem tibiæ recusasset, intra paucos dies extinctus est.

7. Virgo nobilis, quum in choreis incauisset, & capite in postem cecidisset, vulnusculum in vertice contraxit, ubi cutis vix læsa fuit. Illa, quia neq; dolorem, neque inflammationem sentiebat, 1. & 2. die vulnus (aut potius contusionem) planè neglexit. Tertio die incæpit parùm dolere, quapropter barbifonforem accersivit, qui rasis crinibus, cutem vix læsam animadvertens, virginem irridebat. Quarto verò, capitis gravitate & febriculâ correpta est. Ego 6. die morbi ad ipsam vocatus, comperi ipsam delirantem, faciem & oculos inflammatos & linguam aridam, ita ut sequenti die è vitâ decesserit. Apeito capite, sanguinem sub cranio collectum & cerebri membranas inflammatione correptas invenimus: cranium tamen nequicquam læsum fuit. (d)

8. Ioan. Beckler, Illustriss Principis D. Er-
ratus

nesti Friderici Marchionis Badensis Cubicularius, homo sanguineus, ad iram tamen pronus, aliquando cum nobili puero, gladio obtuso pugilum more contendebat cumq; puer cubicularium sub oculo sinistro leviter vulnerasset, vulnere solam palpebram inferiorem penetrante, oculique exteriori tunicam, quam albuginem vocant, parum contundente, ille sive ira percitus, sive dolore victus, abjecto gladio humi procumbit, in lectum delatus nihil loquitur, post aliquot vero horas fortissimo Epileptico paroxismo correptus, obiit. Post mortem ablato cranio, examinatoque diligentius vulnere, nulla læsio, præterquam quæ exterius quoque videbatur, deprehensa fuit. (e)

9. Vidi in Cremonia quendam, qui vulneratus fuit in crure, super focile minus & perforavit sagittâ arcus, usq; ad superficiem ossis, & non læsit os: & cum omnibus instrumentis Medicus non potuit defendere, quin superveniret rigor & febris: & mortuus est infra mensem suæ infirmitatis (f)

a) *Holler. l. c.* b) *Valleriol. l. 3. enarrat. c. 8.* c) *Augen. tom. 1. ep. 3. consult. l. 9. c. 2* d) *Fabric. cent. 1. obs chir. cent. 4. obs. 76. cent. 5. obs 2.* e) *Mathæus obseruat. med. cas. 7.* f) *Guelhelm. Placent. Pract. c. 5.*

C 4

Adri-

D. Er-
ratus

X L.

Adriani Spigelii, Anatomici incomparabilis, mors ex levi causa.

D. Adr. Spigelius, nuptias celebrarat, filiae unice, in quibus cum fractum colligeret Vitrum, vulneravit nescio quem e digitis sinistrae manus. Supervenit inflammatio, quæ non tantum occupavit totum brachium, sed & tumorem sub alâ insignem excitavit: quo vix ad suppurationem perducto, quamdiu effluxit sanies subcruenta & fetida, meliusculè quidem habuit: cessante verò illa & diarrhæâ superveniente, omnia in pejus sublapsa sunt, usque dum tandem 7. April. A. 1625. Empyematicus moreretur. Ita ad me amici perscribunt Patavio. Vide, quàm levibus occasionibus moriamur: etiam illi, qui imperium in mortem habere nobis videmur.

Casp. Hoffm. in Epist. ad Fabric. Fabric. Cent. 5. obser. p. 10.

X L I.

Exigua vulnere, immensa sequuta symptomata.

r. Mercator quidam Coloniae Agrippinae, cum quadam die in officina circa merces suas occupatus esset, examen balancis volæ manus infixit. Ab initio affectum neglexit, & peritos chirurgos non adhibuit, multò minus
vulnus

vulnus turundis apertum retinuit. Superficie itaque vulneris clausâ, circa 4. auctus est dolor, ille, quia corpus sanguine & humoribus oneratum erat, adeò ad se attraxit, ut exortâ febre, sequuta sit inflammatio, ac Phlegmone, ita ut variis in locis exulcerata sit manus, & non nisi magno cum labore restituta manus.

2. Iacobus Bergerius, in suprema Curia Lausennenti Notarius, scalpello volam manus sibi punxit. Et quia vulnus, propter sui angustiam, turundis minimè apertum retineret chirurgus, & pus in ipso fundo vulneris colligeretur, retinereturque, dolor exortus est acutissimus, mox febris, inquietudines & phlegmone sequebantur, ita ut de vita periclitaretur. Ego tandem in consilium adhibitus & omnibus ad morbum depellendum necessariis institutis, post graviss. ac diuturnos cruciatus, tandem pristinae sanitati restitutus fuit.

3. Pagana quædam, Hildenaë spinâ summum digitum indicem punxit. Cum verò propter causam superius allatam vulneris superficies coaluisset, & pus circa partes nervosas collectum fuisset, exortus est dolor inflammatio atque gangrana, quâ in sphacelum conversâ, adiit me tandem. Purgato corpore, & ad metacarpum abscisso digito, convaluit.

4. Honestâ quædam matrona, cum piscē



exenterando spinâ, secundum articulum medii digiti, dextræ manus punxisset & ab initio imperitæ cuidam medicastræ se curandam commisisset, & exortus fuisset dolor gravissimus, in consilium vocatus fui, 8. morbi die. Dum manum brachiumque ad cubitum usque supra modum intumefactum & inflammatione detentum, reperi: humor ille, quem vulgus chirurgorum Germanorum existimat in articulis contineri, & perinde *Gliedwasser* appellat: copiosè effluebat, quapropter vix credibile est, quântus fuerit dolor inuncto brachio, oleis anodynis & applicatis defensivis circa cubitum, manum verò, quæ dolorem leniunt, mox remisit, tumor brachii & manus quoque paulatim evanuit quidem, quinque tamen in locis, circum circa digitum & in volâ manus, materia illa acris carnem eroserat & ulcera sordida & cuniculosa post se reliquerat: circa quæ etiam nunc occupatus sum.

5. Cum Matrona quædam sibi indicem dextrum vitro punxisset, sequutus est primò dolor vehementissimus, deinde inflammatio, aliaq; gravissima symptomata, quæ brevi totam manum occuparunt, & diversis in locis ulcera sordida, cum ossium & ligamentorum erosione excitarunt. Operâ & diligentia chirurgi cujusdam non vulgaris, tandem post longum tempus curata quidem fuit, sed in-

genti

genti cum labore : articuli quoque nonnulli digitorum rigidi permanserunt.

*Medicina chirurgica Aquila Fabricius
cent. observ. 4. obs. 76. cent. 5. obs. 2.*

XLII.

De punctura Vespa. historia singularis.

1. Matrona quædam Nobilissima, cum in canicularibus, in prandio, à vespâ punctiorem circa carpum sinistrum accepisset, protinus dolor ingens, in loco affecto exortus est. In ipso ferè momento cum Lipothymia supervenisset, ad lectum se conferre coacta fuit. Vbi non diu post, dolor ille, qui ab initio, manum & carpum solum occupaverat, per totum corpus expansus, & acerbior factus fuit. Eodem quoq; die vesicæ humore seroso & pellucido (veluti in combustionibus conspiciuntur) repletæ, exortæ sunt. Sub vesperam, uti quoq; sequenti die, cum totum corpus oleo Scorpionum (quod maritus in promptu habebat excellentissimo) inunctum, & sudor lapide Bezoar copiosè provocatus fuisset, brevi pristinae sanitati restituta fuit ægra, separatâ per totum ferè corpus Epidermide: (a) Colligitur hinc, istud vespæ venenum, fuisse summæ activitatis eò quod vitiosum & malignum suum humorem, vi internarum partium calorificâ, & virtute Bezoardicâ ad remotiores & ex-

& excrementales partes cutis & poros amandant, tandemque per sudores Epidermide excoriatâ & ablata, omnino extra corpus propulerit. (6).

2. Matrona quædam genere & pietate nobilis, cum quadam die in viridario obambularat, & à vespâ. punctiorem, circa juncturam mandibularū. acceperat, protinus exortus est dolor maximus, inflammatio quoq; mox sequuta est, & totū caput intumuit. Adhibitis remediis, dolor nec nō intumefactio ex parte remiserunt, relicto abscessu in ipso loco affecto, quo rupto, sordidum & insanabile sequutum est ulcus; quod etfi præclaris quoq; Medicis atque chirurgis curandum commissum fuisset, oleum tamen & operam perdididerunt omnes, quamvis summam adhiberēt diligentiam, uti egomet testis sum ocularis. Cum enim apud Cosman Slotanum Medico-Chirurgum præstantissimum viverem, & Chirurgiæ studio operam darem, in 6. usque annum, vidi quantâ diligentia, quantâque sedulitate circa affectum huncce laboraverit. Defuncto Slotano, cum omnia frustra adhibita fuisse vidisset ægra, nihil amplius deinceps tentare voluit, sed curationem palliativam ad finem usque vitæ suæ adhibuit. Ad decrepitam tamen ætatem usque vixit & quidem utcunque commodè: quandoquidem ulcus hocce velut cloaca erat, ad quam natura superfluos atque excrementitios humores ex toto corpore copiose

piose & quidem continuo amandabat. Ulcu-
enim, cum è regione juncturæ mandibularū
esset, non potuit propter continuum motum
juncturæ ad cicatricem perducī. Ulcera enim,
ut norunt Medici, non sanantur, nisi exsiccen-
tur: at quia motus, attrahendo humores hu-
mectat, sequitur necessario, ulcera circa jun-
cturas mandibularum, cum sint in continuo
motu, præterquam cum homo dormit, insa-
nabilia esse, nisi forsan chirurgus, methodum
illam, quam ego primus inveni, & in 1. cen-
tur. observ. mearum 38. proposui, adhi-
beat. (c)

3. A. 1598. Patavii, Matrona nobilis, in
ipsis canicularibus à vespâ, circa metacarpiū
dextrum lædebat: ubi statim dolor obortus
est maximus, cum inflammatione insigni, su-
pervenit febris ardentissima & Phrenesis. (si-
quidem nervosis & musculosis partibus in-
flammati, hæc noxa cerebro promptissime
communicari solet). Aderant præterea fre-
quentes & biliosæ evomitiones, ventris con-
stipatio, aliorumque symptomatum *συνομιή*
& momentanea quædam istorum exacerba-
tio: accedente insuper tempore æstivo calidif-
simo, quod impetum moti, jam humoris mo-
bilis, in matronâ præsertim valde plethoricâ
& succulentâ, magis magisque intendebat.
Accersitus itaque D. Julius Casserius, Fabri-
cius Placentinus, præmissis Bezoardicis, &
cordialibus, locum affectum sine ulteriori
morâ

morâ scarificando, cauterizabat, eamque non neglectis aliis convenientibus remediis, cum universalibus, tum particularibus, (divinâ annuente gratiâ) à præsentissimo & evidentissimo vitæ discrimine dextrè liberabat, feliciterque pristinæ sanitati brevi restituebat. Suspicabatur D. D. infectum hoc, ab alterius cujusdam venenati animalculi suctu, vel inessu, vel herbâ quapiam venenatâ, depastâ, infectum fuisse, & postea malignitatem hanc parti læsæ discrasia, ipsique puncturæ induxisse, id quod rationi aut veritati haud absolum videtur. (d) Quid plura? videmus indies etiam ex levissimis causis atque occasionibus gravissimos oriri morbos, præcipuè si subjectum, vel impurum, & pravis humoribus refertum, aut plethoricum, vel deniq; error in curatione fuerit commissus. (e)

a. c.) *Idem centur. 4. obs. 77. § 78. b d.) G. Faber. in epist. ad Fabric. cent. 4. obs. 79. Forest. l. 30. obs. 5. e) Fabric. cent. 5. obs. 2. Auger. tom. 1. l. 9. epist. 2.*

De Apum & Vesparum icu, causis & curâ, vide Aetium, l. 13. c. 11. Paul. Ægin. l. 5. c. 5. Forest. l. 30. schol. ad obs. 12 sub finem. Plezer. de dol. p. 772. 797. § 930. Mel contra Apum infixos aculeos, si magneticâ auxiliûm præstat. Quercet. in tetrad. c. 30.

Alapa:

XLIII.

Alapâ & pugno mortui.

1. Vidimus quendam pugno in faciē percussum statim Apoplecticum concidisse. (a)
 2. Exortâ inter duos Iuvenes lite, cum alter alterum externo brachio alapâ percussisset, in morbum statim, quem ἀποπληξία Græci vocant, resolutus vapulans, paucis etiam horis jugulatus interiit. Quare convocatis Medicis (in vinculis enim detinebatur reus) quæsitum est de causa ipsius mortis. Verum, aliis in ictum ipsum, quo maxillam commotam fuisse putarent: aliis, in humidiorum locum, quo, diutius obdormierat; nonnullis etiam in lautiorum victum, & potum pleniorum, quo dum vixit, est usus, huiusmodi mali causam referentibus, indiscussum apud Præsidentem remansit iudicium. (b)
 3. Ante paucos Annos, uxor acceptâ à marito alapâ, repente concidit & exspiravit; Medici apertâ calvariâ, & inspecto cerebro, ejusque membranis, reliquisque vasis, maritum infontem judicarunt. (c)
 4. Novimus fullonem quendam, qui unico pugno, stomacho cujusdam juvenis violentius impetito, hominem interemit. (d)
- a) Herat. Auger. tom. 1. consult. & epist. l. 9. ep. 2. b. d.) Beniv. de abd. morb. caus. c. 110.
c) Ex obs. Prop.

Histo-

XLIV.

Historia notabilis, cultri à rustico deglutiti, & sectione exempti.

A. 1602. Pragæ quidam rusticus, cui Mathæo nomen erat, vir tricenarius, casu fortuito cultrum, qui 9. transversos pollices longus fuerat, deglutivit, in angustia inexplicabili constitutus, cum nulla ars excogitari posset, per quam loco alieno orus infelix extraheretur, tandem verò Dei misericordia hoc suggestit, Magnes & alia attrahendi vi pollentia medicamenta sunt applicata, ut cultri cuspidis, circa superius ventriculi os eminere inciperet, ubi deinceps, uti in re propè desperatâ, ad sectionem est ventum, administrante eam experientissimo chirurgo Floriano Mathisio Brandenburgensi, sic tandem culter ille, qui 7. ipsas totas hebdomadas & biduum in ventriculo conclusus delituerat, & colorem contraxerat similem telo alicui, quod in igne jacuisset, à dicto chirurgo exemptus, & vulnus sectione factum, idoneis adhibitis medicamentis curatum, coaluit: ipseque rusticus ingenti anxietate liberatus pristinam sanitatem feliciter recuperavit: cum æternâ laude eorum, quorum sapientiâ, industriâ & arte liberatus fuit.

Glandorp. in specul. chirurg. obser. 31.

Aerea

XLV.

Aerea acus deglutita, post 10. annos perforato Ventriculo, extruditur.

Devoraverat mulier quaedam æneam acū, & nullā inde noxā perceptā, integrum annum, ita ut erat, sana permansit. Quo peracto, coepit dolor satis acutus mulierem ipsam circa ventriculum urgere: qui dum eam magis magisque indies affligeret, plures consuluit Medicos: nihil tamen de devoratā acu, quam penitus oblivioni tradiderat, referens. Variæ fuerunt hinc inde sententiæ. Alii enim ab acuto humore, alii à vento inter tunicas stomachi recluso, cæteri verò ex malo habitu excitari hoc malum putabant. Cumque omnino quo poterat studio & diligentia curatā, sanitatem nullo modo consequi posset, medicæ artis spe depositā, tolerare id malum satius duxit, quàm perpetuis medicamentis inaniter vexari. Sicque annis jam 10. tali urgente dolore, miseram vitam trahebat, cum ecce acus illa terebrato ventriculo è parvo demissa foramine profiliit. Nos autem & acum vidimus & mulierem curavimus: quæ paucis post diebus, unitate vulneris factā, in pristinam sanitatem restituta est.

Beni Ven. de abd. morb. caus. c. 20.

Acus

Aerea



XLVI.

*Acus mulieris cujusdam genu, insciè &
per imprudentiam infixâ, gravis-
sima symptomata in-
tulit.*

Mulier juvenis, cum multum se domi ex-
ercuerat pro domesticis obeundis muneri-
bus: ecce die sequenti, cum ex cubili surgeret,
ita acriter & sævè circa genu doluit, ut se e-
mortuam altâ mente clamaret. Ad quam ac-
citus Medicus, locum dolentem advertit,
tangit & considerat, sed nihil notatu dignum
invenit, præduriusculi tamen nescio quid par-
ticulam præ se ferre ajebat. Quâ de re, contra
dolorem, anodynis remediis supra positis,
invadit, & sanguinem ex jecorariâ brachii
malè affectum locum respicientis abundè ex-
traxit, tandem post triduum, hujus agonis &
infortunii, non sine ipsius agrotantis & o-
mnium assistentium ingenti admiratione, a-
cus cujusdam intus latitantis supremus apex
apparere cœpit, quam tunc chirurgus inte-
gram extraxit, meritò namq; hujus rei omnes
admirabantur assistentes, ut quæ acum totam
infigi non præsentierat agrotans, fortè so-
mno profundiore detenta, demum extractâ
acu quæ directè & profundè sævierat, Medi-
cus convulsionem timens, de loco aperiendo
dilatandoque contendebat. Cæterùm hoc effi-
renuit,

renuit, remediis tamen adjuta, sanata est, præcipuè hoc uno constante, euphorbio, resinâ & pice. Sed quis precor latitantem acum, eo in loco diceret, præsertim cum puella, eam præfigi, profundiori somno oppressa, non persentierat. Haud dubiè morborum causæ sæpè abditæ & difficiles sunt & habentur.

A. Lusit. cent. 7. curat. 58.

XLVII.

*Conferva vis mira ad ossa fracta
ferruminanda.*

Conferva (à ferruminando dicta) muscus est densus, herbaceus, spongiosus, hærens aquatilibus petris, cujus efficax natura, nobili historiâ consignata est. (a) Putator quidam ex altâ arbore deciderat, omnibus ferè ossibus con fractis. Præsto aderant amici, qui corpus ejus universum, eo musco obligarunt, atq; ita relatum domum in quiete tenuerunt: subinde conspersâ aquâ ex eo flumine, quod muscum alluebat, ne videlicet muscus emarcesceret. Rarò, nec nisi deficiente herbâ remedium mutatum est. Atque hac medelâ incredibili celeritate convaluit. (b)

a) *Holler. l. 2. instit. chir. c. 1.* b) *Plin. nat. hist. l. 27. c. 8.*

Rarum

XLVIII.

*Rarum & novum compertissimi usus re-
medium, spacio 24. horarum,
Vulnera etiam nervosarum
partium congluti-
nans.*

Non possum silentio involvere, medicamē-
tum quoddam præstantissimum, ad parvum
nervosarum vulnera: cujus descriptionem ab
Hispano quodam Sacerdote, fide dignissimo
accepi, qui rettulit in Hispania non licere hoc
medicamentum componere, quòd homines
medicamenti viribus confisi facile digladi-
entur, inque arenam descendant. Est autem
hoc. Rec. olei vetustissimi Vnc. iij. terebinth.
puræ unc. viij. frumenti integri unc. unam &
semis. hyperici unc. duas, rad. card. bened. rad.
valerian. ana unc. j. thuris pulverisat. unc.
duas. Radices & herbæ grosso modo contun-
duntur, in olla ponuntur, & tantum vini albi
superfunditur, ut omnia in vino mergantur.
& per biduum factâ infusione, oleum & fru-
mentum adjiciuntur, & coquuntur omnia ad
vini consumptionem: mox factâ forti expres-
sione additur terebinthina & thus: & iterum
parùm sinuntur bullire: servanturque in vase
vitreo. Sanat vulnera, ut ajunt, spacio 24. ho-
rarum. Modus utendi talis est: Abluto prius
vulnere vino albo frigido, statim inungitur
totum vulnus, oleo prædicto calente: quòd si
hoc

hoc commodè fieri nequeat, per siphonem intra vulnus, tanquam per clisterem infunditur & confestim labia vulneris ad mutuuum contactum adducuntur, deligunturâ, futurâ, aut glutine. deinde partes circumstantes prædicto oleo similiter inunguntur. Suprà verò vulneris labia jam reducta, linteum imponitur, prædicto oleo madens, & supra hoc aliud, vino nigro expressum, mox alia lintea sicca: deinde fascia superligatur.

Hier. Fabric. ab Aquapend. pentat. chir. l. 2. c. 7.

XLIX.

Ineptè Chirurghi Venis incidendis Unguentum populneum allinunt.

Ineptè quidam Chirurghi, venam incidendam exploraturi, primum frigido ex populis unguento inungunt: quod potius sanguinem ingrossare, ac regerere, quam ad venam alligere potest. Rectius alii primum calidâ, post fluxum inhibitori frigidâ respergunt loca. Ita enim cogitur sanguis, & contrahuntur meatus. Veteres, oleo tantum membrum incidendæ venæ irrigatum fricabant, ut ejus tepore sanguinem fluxilem temperent: unde Galenus inquit: ὡς φλεβοτομημένοις ἐπισαζόμενον, ἔλαιον εὐριον ἐργάζεται τὸ αἷμα. (a) Videtur hinc, quantum interfit, aliquid ratione duce, quam

quàm sola imitatione fretum, facere, quod
simiarum est peculiare: quibus illi jure con-
feruntur, nihilo illis sapientiores, quum ferè
omnia citra rationis iudicium agant. (b)

a) l. 2. de simpl. med. & l. 3. de compl. b)
Lang. l. 1. ep. 8. Libav. de cruent. cadaſſ.
p. 283.

L.

Rarum Amoris signum.

Affidebat Nobilis quidam (insanus præ a-
more) juveni, nobili & honestæ cuidam ta-
minæ viduæ, cujus nuptias ambiebat, & pro-
gressu temporis consecutus est. Hic in pran-
dio ad mensam, cum colloqueretur, ecce ve-
na in temporibus prope aures illi sponte a-
perta est, & profluxit copiosus sanguis, quem
strophiole compescere conatus est. Hæc ipse
vidi, cum utrique in mensa affiderem, in arce
quadam, eò ad Nobilis cujusdam curam va-
catus.

Mathias Cornax l. 1. consult. med. c. 3.

L I.

*Iratis erumpere sangui-
nem.*

Erumpere Iratis aliquibus sanguinem, in-
dicat Historia, Georgii Ioannis Castriotæ,
Ducis Epiri & Albani Filii, quem Amurathes
Turcarum Imperator, propter magnifica eius
facta

facta, Scanderbeg ac si dicas Alexander Magnus, aut Alexander Dominus, nominavit.
 (a) Cui ingentis animi viro, non prius è labris erupit cruor, quam in procinctu pugnae stans ipse, adversus hostem excanduisset & ebulliens humor, spirituque pragnans alluvie, ac ceu inundatione teneram labiorum cutem finderet (b) Excelsa fuit staturâ, robustis artubus ac toroso corpore, & admirabilis roboris, ita ut pragranti ponderosoque acinace, quo utebatur, medios hostes, ad umbilicum proscinderet, transversos divideret, & sæpè per cervices integros cum humeris, brachiorum artus facile detruncaret, (cum supra 2000. barbarorum diversis præliis suâ manu interfecerit, cum singulis ictibus singulos per medium scinderet) quorum immanium vulnorum truculentiam audiens Mahometes Turcarum Imperator, inusitatae violentiae gladium videre concupivit, impetravitque ab eo, ut Byzantium mitteretur. (c)

2. Incidit in manus meas homo quadragenarius robustissimus, naturâ biliosus & iracundus, cui vulnerato capite ramus sinister soporalis arteriae, desuper musculo crotaphito incisus fuerat. Sanguine primo apparatu pulvere meo restricto (tract. de gangr. c. 5.) vulnus ad digestionem perduxi. Quinto verò morbi die, cum ex propinquis quidam, qui vulnus inflixerat, ex improvise in cubiculum ingrederetur, vulneratus inscius adventus, ex
 ipse

ipsius ad spectu adeo perturbatus est, ut denuo rupta sit arteria, adeoque sequuta haemorrhagia, quae vix restingui potuerit: convaluit tamen penitus. (d)

a) *Lib. de cruent. cad. p. 302. Vrsperg. in paral. Bucholtzer in ind. chronol. p. 400. C seq. b) Salom. Albert. in orat. de sud. cruent. p. 29. c) Port. l. 2. de hum. physiogn. c. 41 C 56. d) G. Fabric. cent. 1. obser. 18. cent. 1. epist. 1.*

LII.

Ex ira mortui.

Wenceslaus Bohemorum Rex, A. 1418. cum forti ira percitus pugionem evaginasset, ut Pragustatorem occideret, qui Hulitorum tumultum Pragae Duce Zifcone excitatum Regi faciens non aperuisset, a circumstantibusque detentus pugionem amisisset, ne familiaris caede Regiam Majestatem coinquinaret, in illum manibus statim apoplexiâ correptus post aliquot dies mortuus est, (a)

2. Nerva Imperator valetudinarius ac ventriculi tantâ debilitate laborans, ut crebro assumptum cibum evomeret: cum semel in quendam nomine Regulum excandesceret, tantum pectoris dolorem sustinuit, ut confestim feбри exitiali deploratâque correptus sit. (b)

3. Valentinianus Imperator, cum adversus Sarmatas nonnunquam propter Illyriae vastatio-

Stationem in pratorio sævus infremeret, & universæ genti excidium rigidus minaretur, sanguine irrupente animam exhalavit. (c)

4. Juvenis 15. annos natus, vulnus contusum cum cranii fractione circa bregma accepit. Primo apparatu, vulnere dilatato, & deinde ossiculis extractis, ad suppurationem feliciter perduximus vulnus, omniaq; symptomata remissa sunt. Elapso verò 14. die, cum adolescens alius, (qui circa lectum ludebat) ipsum ad iram provocasset, recidit in febrem & Phrenesin, ita ut 4. post die è vita decesserit. Cranio aperto, inveni cerebri membranas undique inflammatas, ac tum venas, tum arterias omnes sanguine turgescentes.

5. Arcularius in duello, vulnus cultro inflictum, ad cubitum recepit, is ab omni mortis & accidentium periculo liberatus, cum per fenestram eum, qui vulnus inflixerat transeuntem ex improviseo vidisset, adeò perturbatus, atque commotus est irâ, ut denuò aperta in vulnere venâ hæmorrhagia adeò magna sequuta sit, ut à Chirurgis restingui non potuerit, ita ut post dies è vita discesserit. (d)

a) Cromer. l. 18. Ioan. Dubra & l. 2. hist. Bohem. b) Sext. Cornel. Victor in Coccei Neræ vit. epitom. c) Cuspian. de Casar. d) Fabric. l. c.

D

Ex:

LIII.

*Excandescencia in commovendis
humoribus magna
vis.*

Hominem arthriticum aliquando novimus, qui cum egredi non valeret, nec crura movere, concitatus tamen ita crura extendebat, & ad offendentem uxorem, per medium solus cubiculum percurrerebat.

Liba & de cruent. cad. p. 302.

Vide centur. nostram 5. part. 30. & seqq.

LIV.

Mulier cur citò incandescat.

Mens Mulieri minus, quàm viro robusta, aut fortitudine fulta, animus prudentiâ tenuiter stipatus, oblatâ levissimâ, nulliusque momenti occasione, frænum rationis excutit, sic ut sui oblita, indiscriminatim, nullog; delectu notos ignotosque adoriatur. Quod si quis naturalem rationem exigat, hanc ego hujus rei causam refero, quòd mulier molli sit carne, laxâque ac fluidâ sic ut bilis incensa confestim se per corpus diffundat, ac sanguinis circa cor subitam ebullitionem excitet. Ut enim ignis leviores stipulas citius corripit, ac sublimem flammam excitat, sed quæ citò conquiescat & sopiatur: ita quoque mulier celeriter irâ inflammatur atque ignescit, mirisque

risque modis tumultuatur: verum fremitus ac vociferatio, in corpore minus forti atque animoso, tum etiam humido, confestim mitigatur ac reprimitur, omnisque ardor & ira effusis lachrymis diluitur, ac velut infusa aqua defervesceat, quod in quibusdam etiam viris effeminatis perspicimus, quorum magnanimitas ac ferocia puerili more, in lachrymas ferè definit, ubi adversarius acriter se illis opponit.

Lemn. de occ. nat. mir. l. 4. c. 13.

L V.

Effectus iræ & descriptio.

Seneca & Plutarchus, Animæ Iram nobis repræsentant, tanquam alteram Megaram furiosissimam, truculentissimam, audacissimam, crudelissimam, ac summè omnibus terribilem: radices in se & scaturigines seditionum omnium, turbarum ac tumultuum continentem, litium, bellorum, homicidiorum, excidiorum, everfionum ac omnium malorum abyssum: tempestatem, diluvium, ignem, machinam, tonitru ac pestem, inundantem, submergentem, urentem, diruèntem, fulminantem, inficientem, occidentem ac omnia evertentem: homines quos invasit ad omne sceleris genus præcipites agentem, è qua innumera mala, stupendaque, tum in corpore tum spiritu contrahuntur. Denique scelerata illa eo usq; improbitatis & nefandæ

D 2

ma



malitiæ procedit contagio, ut non tantum illos in belluas & tigrides immanissimas, sed in dæmonas quodammodo transmutet.

Atque ut in primis hanc tam effrenem & reterrimam beluam suis delineamentis, tam intus, quam in cute depingamus, Irati incompositum incessum & actiones observemus. En quanto fastu, & quam truciore, superbâq; corporis agitatione, modo huc, modo illuc volvitur, ac circumfertur Iratus: quam variè modo erubescit, modo pallefcit: cubitis, quicquid occurrit hinc inde propulsat, atque disjicit. En, ut à suâ ipsius umbrâ, etiam exacuitur, quam ferre nequit placidè, ut voce tremulâ, modo altâ, modo depressâ, ad bilis agitatae motum aut quietem intonat? En, ut labia commordet, pectus pugnis verberat, crines indignabundus vellicat, in quos citra rationem involat, instar canis, in lapidem ruentis, quo ictus est? Si acrius ac propius Irâ percitum intueri voles, & os ejus circumspicere, in quibus omnes Iræ proprietates, tanquam in speculo elucescunt, omnis perturbationum generis notas in illo sævire videas: ut rubore & ferocia scintillet, ut ruffis maculis Leopardi instar ubique scateat: ut igneis tedis micantes oculi truculentiam mimentur, ut capilli colore bovini, in Mauro-rum speciem arrigantur & crispantur. Deniq; in ea sæva perturbatione animi, nihil non horrendum & monstrosum cernere licet. At
forma

forma illius, quam descripsimus, primis Iræ motibus tantum congruit, videturque suaviter ac benigna, si cum paroxysmo illius impetumque comparetur.

Tunc enim illa infernalis Megæra, vinculis soluta rabiem totam exerit, non uno flagello simplici contenta: sed cruentatum enses unam, incensam talem altera manu intonat: illius brachia reducta veste, nil nisi cædes & sanguinem minantur: apertum pectus fastuose explicat: auras ictibus quasi serio prælians divederat, modo huc, modo illuc circumagitur: quin & horrenda voce ad arma & cædes, ad sanguinem & ignes furis omnibus agitatur, ac ferro ignique se vastaturam omnia comminatur: usque adeo insolens illa rabies omnibus modis trunculentam & atrocem belluam refert. (a) Persarum Rex Cambyses, Darii F. cum Amasis Ægyptii Regis Filiam in matrimonium petiisset, Amasis veritus, ne ea potitus, non uxoris loco, sed in concubinarum numero retineret, aliam pro Filia ei simillimam misit: quam rem Cambyses cum cognovisset, Iræ exarsit, atque cum ingenti exercitu in Ægyptum descendit, ubi cum defunctum Amasim invenisset, Filium ejus Psamniticum Regno dejecit, ipsius quoque Amasis corpus sepulchro eruit & tanquam viveret, verberibus cædi, acutisque feramentis totum pungi, ac deinde in foro comburi fecit: neque enim animadvertit,

plus in seipsum iracundiae flammam, telaque, quam in mortuum Amasim saevire: quod ea Iracundiae vis, ac natura est, ut semper autorem torquere incipiat. (b)

Xerxi non satis fuit, in homines Iracundiam & rabiem suam exerere, sed idem adversus mundi elementa facere contendit. Nam cum trajectum ex Abydo ad ulteriorem ripam, quae est 7. stadiorum, pontibus junxisset, ingensque exorta ea omnia dirupisset: indignatus, tanquam sensus aquis inesset, trecenta Helleponto verbera infligi & stigmata inui, adeoque par compedum in pelagus demitti iussit. atque eis, qui praepositi operi erant, capita praecidi. Deinde cum Athos longo tractu in mare procurrens, classem ejus afflixisset, a continente eum abscindere, omnibus copiis sub verberibus in effodiendo occupatis, aggressus est. (c)

Ora tument iram nigrescunt sanguine venae,
Lumina Gorgoneo saevius angue micant. (d)

a) *Quercet. diat. polib. l. 1. c. 6.* b) *Campoful. l. 9. c. 3.* c) *Herod. l. 7.* d) *Ovid. l. 3. de arte amand.*

LVI.

*Sapè turbati apertissima consilia non
Scitemus*

Exrat historia de Melchione à Zeidlitz à Tuicis capto, ac tandem liberato, qui cum in itinere

itinere longius à comitatu remansisset, infortunium quoddam incidit, ut clitellæ mulo, quo utebatur, deciderent, neque ab ipso, præ nimio pondere facile restitui possent: cumq; id aliquoties ei eveniret, adeò ut in maximo periculo esset, ne denuo caperetur à Turcis, quibus istud iter tunc ob bellum Imperatoris erat frequens, non tamen subiit animo, ut relictis clitellis nudo inveheretur mulo. Et quoties nobis in angustiis talibus evenit, ut vel apertissima consilia nõ attendamus? quippe mens interno sollicitata motu, non observat occasiones extrinsecus rei gerendæ. Itaque fit ut neque videamus recte, nec audiamus aut aliud quid sentiamus. Motu sedato veluti è somno instar Melancholicorum expergisci videmur. Idem in magnis ad unam rem attentionibus evenit nobis. Principio enim sensuum occupatâ magnâ agitatione, excluduntur imagines, motionesve minores, nec admittuntur, cum principium unum & indivisibile non possit plura simul sentire; sit autem etiam præsens motus tam vehemens, ut alios minores destruat, perinde ut Solem intuiti carcutiunt ad reliquos colores.

Sic interfectores motu propriæ conscientiæ, ita in angustum compelluntur, ut quo se vertant, nesciant, quin & ferè obstupescant & nec agnoscere quidem possunt loca & occasiones evadendi, cum alioquin istis omnes fore pateant, quod Lipsiæ aliquando evenisse dicitur.

dicitur. Ibi enim Nobilis quidam à cæde; quamvis totum ferè oppidum obequitaret, portam vel patentem non invenit: nimirum animo ita consternatus, quod omnibus ferè perturbatis accidit.

Novimus hominem contentiosum, qui cum alterum provocaret ad pugnam, isque compareret, propositis simul humi duobus gladiis, quorum alterutrum ipse inermis arriperet, post iram jurabat, se neutrum vidisse, cum ante pedes projectus esset, in medium uterque, me simul astante & vidente.

Libro regiōpar. de i. p. 167. 166. 381.

LVI

Conscientia mille testes.

Judex quidam Hispanicus, cum factum esset homicidium, & plures una adfuissent, singuli verò sese excusarent, surrexit, & iussit singulos nudare pectora, & palpavit ipsorum corda. Cum verò sensisset in uno, majorem cordis tremorem? Tu, inquit, fecisti: etsi alio, qui foris, illis cæteris audacior videretur: tamen inde judicavit malè sibi consciùm esse. Ita statim confessus est scelus, ductusque ad supplicium.

Manlius in loc. com. p. 243.

Crwen.

LVIII.

Cruentatio occisi à Magistratu.

Observatum fuit & pro divino habitum, innocenter occisi, etiam à Magistratu hominis cruorem manantem, copiâ admiranda sat diu perstitisse. Episcopus quidam suspectum habebat Consiliarium quendam suum hominem divitem, furtique accusabat. Itaque repente domo suâ evocatum tanquam ad consilium, in crucem sustulit immerentem. Huius sanguis non cessavit fluere, quandiu ibi suspensus mansit, miraculo admodum ut videbatur. Vnde enim strangulato ad nares tantæ copix via, interceptis laqueo omnibus venis, arteriisque?

Lib. 8. l. c. p. 275. 245.

LIX.

Sanguinis, è Venâ missi, iudicium.

Actionis Medicæ pars altera, quæ juxta Hippocratem, in superabundantium detractione occupata, non habet inter omnia operis sui genera, eo, quod sanguine mittendo peragitur præstantius. Istud enim, ut jam olim ratio comperit, sic Experientia confirmavit, cunctis evacuationum auxiliis, tam operationis celeritate, securitate, quam tolerantia, superius: nullo propè in morbo ab Hip-

D 5 pocia-



pocrate intermissum : cuius , præter veterum testimonia , utilitatem , quotidianus etiam fructus probat ; si modo is temeritate , aut casu non pervertatur ; ita , ut reprehensores magnæ medicationis hujus , Erasistrateos , merito refutare aggressus , feliciter confutarit Galenus . Et quis est , qui cum sciat , multiplicium morborum causam esse sanguinem , non existimet , eam protinus , pullulante adhuc morbo succidere , & in primâ , ut ajunt , herbâ necare , factum optimum ; præsertim cum videamus , febres , priusquam incandescant , Venæ sectione extingui ; putredines , de obstructis vasis , solvi ; inflammationes subnascentes jugulari ; nec promptius aliud esse ullum , quo plenitudo præsens exhauriatur , aut citius intercipiatur fluxio . Verum , non tantum præservatorium simul , atque curatorium Venæ sectio extat præsidium ; sed iudicium insuper præbet de statu valetudinis , præsentibus & impendentibus morbis ; innuit remedia ; docet modum instituendi victum ; quin & ingenia tandem moresq; prodit hominum . Hæcque multò dexteriùs omnia , quàm quodvis corporis excrementum : quandoquidem sanguis longè illis nobilior , uti actionum in nobis author , ita viscerum & universæ corporis constitutionis index certior . Quo pacto igitur in ipsius exploratione versandum , mone-re nunc propositum : paucis tamen , pro familiari mihi brevitate .

Et

Et primò quidem, quo subjecti habeatur cognitio; quæ sit natura sanguinis; postea, quid circa hunc exeuntem speculandum; demum, quæ in excepto considerata, tenenda, que, expositurus.

Sanguinis vocabulum, è Græcâ Etymologia, quod eo corpus vegetetur, sustentetur, atque vivat, Isidoro videtur desumptum; Latinis autem, quasi Suavem, dictum. Hippocrati humor hic, venis, propriè ita nuncupatis, conclusus, contentorum nomine audit, tertiumque corpus nostrum constituens ipsi est principium.

Aristoteles alimentum ultimum definit: quem alius, & fortè meliùs, corpus liquidum, ex alimento genitum. Hunc sanè succum, qualis quidem primâ apparet fronte, naturâ sui minimè simplicem, sicut & Cous noster olim jam docuit, ita & sensus ipse, quatuor diversis partibus compositum, aperte ostendit: nec esse aliud, quàm sanguinis propriè sic dicti; pituitæ item & utriusque bilis acervum. Elementorum Mundi sobolem primogeniã; è quibus commistis & justâ proportionem temperatis, sanguis communiter sic vocatus, cõflatur, quo etiam toto, per venosos tubos distributo, partes corporis nutriuntur. Proinde Philosophos ex eo, quod Sanguis, priusquam venis illabatur, excrementa sua deponat alterius prorsus commertii expertem arbitran- tes, dudum erroris arguerunt & convicerunt

Medici. His etenim, cum institutum sit multo, quæ ad humani corporis naturam pertinent subtilius scrutari: deprehensas in sanguine cæterorum humorum reliquias, non temerè à naturâ relictas, judicantes, de usu inquirendo multum anxii, tandem ad ortum & nutritionem ipsos cum sanguine facere cõpererunt: diversam hanc sanguinis essentiam, partium varietate alendarum exigente. Ordinatam autem ita est, ut sanguis, dilectissimus naturæ filius, uti ipsum Avicennas compellat, reliquos inter vigeat plurimus, caliditate & humiditate temperatus: parcius autem quasi hujus conjunx, humor alter, pituita, multo etiam ob nativam cruditatẽ frigidior, unde quoque per antiphrasin, quòd omnium minimè inflammetur, Phlegmatis nomen adeptus. Porrò, minor adhuc quantitas bilis, quæ veluti flos perhibetur esse sanguinis, caliditate excedens & siccitate. Longè denique paucissimus, illius quasi fex, à colore melancholia denominatus, frigidus, atque siccus. Horum qualitate, unione, & symmetriâ servatâ, valetudo nobis perstat: violata, morborum penè omnium parens oboritur cacochymia. Contrahunt autem labem singuli, partim victu delinquentium culpâ; partim cæli ærisq; injuria; ita, ut qui naturales prius fuerant, factionis evadant adversæ, atque tàm non amplius placidè amici cohabitant, sed absque rectore exleges seditiosè tumultuantur

tur in corpore. Ex qua conturbatione non secus, ac in lactis agitatione (butyrationem vocant) succorum fit secessio. Ibi, qui potior & ferocior impetu, si non principem aliquam partem obruat, debiliori saltem vehementer insultat, adeò, ut vel subitam mortem, vel difficilem decubitum sequi oporteat. Hæc in genere de sanguinis conditione:

Quoniam igitur sanguis alius in laude, alius in vitio, priusquam illum, qui apertâ venâ prolapsus, vocemus in iudicium, optimi ante, tanquam characteris, & cæterorum regulæ, promittenda descriptio: qui peccantiû cruorum iudex non aliter sit, quàm est recta linea obliquarum omnium. Huiusmodi sanè (grata naturæ possessio, divitiæque) ille, qui æquabilis, unius cujusdam, quale oleum, substantiæ; aperta emanat vena, ruber & splendens, non hærens, refrigeratus autè in aquam atque grumum desinens. Talis ante, etiam iudicium sui præbet ad faciei malas consistens, partes molles, per raram cutem, veluti vitrum & cornu prospectans, floridus: sicut & actionum integritate, mentis amantate, copiâ tantùm luxurians, unicamque invicta deposcens temperantiam. Nunc ad rem ipsam.

Et primò, quid in profuente sanguine attendendum, disquiramus.

Quotiescunq; requirens & unâ permittens præsens fuerit venæ sectionis ratio, obfirmato

D 7 in pri-

inprimis patientis animo & pauco acidolo succo reſecto, cautè aggredienda vulneratio; ægro, ſive nativâ delicatior ſit, ſive morbo languidior, ſupino conſtituto. Sed quia duplex venaturæ genus, ſibi que habitatione vicinum; unum quieſcens, vibrans alterum: illud propriè venarum, hoc arteriarum nomine dictum: in illo, humor contentus corpulentior, in hoc verò tenuior è priori, deſtillatione quaſi, cordis calore elicitus, ac denſior, ſpirituoſiorque, ne, quod nonnunquam errore evenit, loco venæ pertuſa arteria, nobiliori fugâ pateat ſanguini; lapſus inde conjectandus, ſi, quod Galenus, de loc. malè affirmavit, cum ſtrepitu, ſubflavens atque tenuis proſiliat, qui ilico inhibendus. Quoties verò feliciter collimatum à chirurgo fuerit, num ſanguis alacriter deſtuat, videndum, an verò ſtillatim tantùm & lentè prodeat. Quod ſi hæſtans, rubicundior ſit, copiam, qua viam ſibi obſtruit, denotat: ſi nigricantior appareat, ob craſſitiam ſui, tranſitu prohibi: quæ tarditas vulnerari oleo illito, poterit adjuvari, modo illa non formidine patientis, aut plagæ anguſtiâ provenerit. Aliis, Sanguinis ſtatum, hoc pacto, examinare, viſum eſt. Guttam ungui inſectant, quæ, ſi continuo deſtuat, tenuitatem; ſi ſubſiſtat, craſſitiam ipſius colligunt. Id quod & hac ratione experiri licebit. Aquæ inſperſus, vitro contentæ, ſi innatet, tenuitatis; ſi ſubmergatur, è pondere, craſſi-

rici: in medio verò pendulus, mediocritatis suæ, dabit conjecturam. Calor sanguinis subinde digitis explorandus, eademque opera lentor ipsius atque densitas. Quantò igitur calidior deprehensus fuerit, crassiorque, tantò finendus est currere liberior; quo verò frigidior, tenuiorque, eò citiùs compescendus. Frequentanda etiam admoto digito, sanguinis interceptio, qua devitata, Syncope, colligentéque sese naturâ, Sanguis ibit non tantùm alacrior, sed juxta exturbabitur, qui ibi deterior. Quod verò hoc in negotio potissimùm, & in emânatione sanguinis diligentius advertendum, Color ispus est. Hic si, qualis nuper descriptus, probus & æqualiter profluat, similem corpori inesse reliquum existimandum: nihilominus ipsius abundantiam propter, necessariam fuisse eventationem. Sin depravatus conspiciatur, & impurus totus, multò utiliùs vacuatum esse putandum, quod copia simul & qualitate peccet; qui & postmodum, vel repetita venæ sectione, vel etiam moderato purgante conveniente extirpandus. Vbi autem contingat, sanguinem primò venientem sincerum esse admodum, posteriorem vero, citra Phlegmonem corruptum; non dissimilium circa viscera latentium humorum præbebit argumentum, unaque de mutanda diætâ, atque solita curatione instituenda, consilium. Sin ex inflammatione talis proveniat, materiem è parte
affecta

affecteda detractam, conjectandum. Solet enim in internis inflammationibus emissus sanguis principio minùs apparere vitiosus, quod deterior circa morbi sedem figatur, ac si foret cucurbitula detentus.

Proinde Hippocr. l. 2. acut. cap. 10. in talibus, coloris mutationem (si vires tamen admittant) expectare jubet. Cui Galen. lib. de curat. per sang. miss. subscribens, in quibus, inquit, juxta sectam venam phlegmone est ingens, optimum est mutationem sanguinis attendere, veluti indicavit Hippocr. loquens de pleuritide. Nam alius est in phlegmone sanguis, quàm qui secundum naturam, utpote plus excalfactus. Si enim ante hac candidior erat, rubior modò & flavior efficitur, si talis priùs fuerat, ad atredinem vergit, adustione. Hæc ille.

Quod si verò sanguis, qui initio excernebatur pravus, ultimo fundatur purus, perfectam testatur vitiositatis exinanitionem. Rarò observatum, malè olere Sanguinem, quod si tamen factum ille spiret, maximam portendat putredinem oportet. Atq; ista sunt, quæ circa exeuntem sanguinem spectanda.

Quò verò, præter hæc, in reliquorum considerationem perveniatur commodiùs; Sanguis non uno duntaxat, quod plerumque solet, vasculo, sed tribus ad minimum; iisque fictileis, aut vitreis, nequaquam autem de materia bibula, aut quæ qualitate aliqua Sanguinem

nen
ord
cha
feno
se c
dus
San
tuu
sed
cato
scit
pus
tur
in C
reb
San
quo
cop
tom
Oc
Hi
lan
qua
min
cipi
C
min
gui
fun
adh
bifi

nem possit inficere, compositis, excipiendus: ordineque loco tuto & umbroso repositus, chartæ tegmine, contra pulverum illapsus defendendus; perque vices reiectus, quomodo se citra concretionem habeat, contemplandus. Sicuti enim, quamdiu intra venas degit. Sanguis, non tam caloris temperie, & spirituum contubernio, quod Aristoteles putavit, sed potius ob peculiarem facultatem, qua locato locus saluti est, non glaciatur & concrecit: sic extra has prolapsus, etiam intra corpus, mox vel putrescit, vel in grumum vertitur perniciosum. Et cum nullibi, præterquam in Corde & torculari, quod Hierophilus cerebri lacunar vocat, naturaliter extra venas Sanguis subsistat: his quoque tamen locis, id quod in quibusdam Apoplexia tactis, aut syncope frigida, ut Salio videtur, collapsis, anatomicè deprehendi, solet in grumum facessere. Occasionem coalitioni huic, fibræ suggerunt. Hisce qui sanguis destitutus, aut cui, quod lanii norunt, demtus, nunquam gelatur, quæ in partium corporis nostri censura staminum vices subeunt, affusum sanguinem excipientia, firmantiaque.

Corpora hæc, quando è manu, pedeque minori, pro more, in calentem aquam Sanguis mittitur, lanæ carptæ in modum, vasis fundo, tum injectis virgulis, instar glutinis adherent: quæ vulgò vitiosi humoris, & morbificæ causæ nomine damnat, cum tamen
 utilis

utilis plerumque pituita sit & similium partium alimentum.

Sanguis igitur, (quod intra horam explorari potest) aut mox, aut tardè, aut nunquam congelatur. Quid coit ocyus, crassus, densus, è fibrarum corpore censendus, & autor obstructionis: qualis oxymelite incidendus, attenuanteque emendandus victu. Qui verò ob cruditatem tardius stabilitur, viscerum roborationem, alimentaquæ requirit crassiora. At subsistens nunquam, aqueus, aut stans tantùm tremulus; quia vel fibris prorsus destitutus, vel minus coherentibus præditus; ideoque alendis agglutinari partibus nescius, consummata existit cacochymia nunciis.

Elapsis post non minùs sex à venæ sectione horis, loco illuminato, extracti sanguinis ulterius instituenda examinatio. Et primò quidem, cruori circumfusus spectatus humor, lacti quod inest, sero (inde fortassis quod tardius prodeat) similis, Sanguinis Serum dicitur, estque recrementi portio urinarii. Supeditant hoc, tum pocula, tum humidiora esculenta. Istud substantiæ siquidem aqueæ, nimiumque tenuis nunquam verti in alimentum potest; usu tamen non caret, quem præstat, cibos partim in ventriculo diluendo, partim chylum in tenuissimas venas ducendo. Est optimo habitu præditus perpaucum, nec tamen nullum. Copiosius, nisi largiori meri potatione, humidiorum esitatione, aut
febris

febris colliquantis æstu proveniat, minatur hydropem. Quapropter coacervatum, vim ne exerceat, motu dissolvendum & vigiliâ, veluti quoque alimentis, tam medicamentis calefacientibus, sudores, urinasque provocantibus, imminuendum.

Penuriæ autem ipsius, contrariis consulendum. Sed quod certius, tam de quantitate, quam colore Seris, judicium fiat, placidâ effusione, vitro exceptum, inspectandum, colorem æquæ, ut lotium, à bile habet, quâ cum, tenuitate sui, convenit Serum. Idcirco, in valentibus, pauxillo apparet veluti Croco tinctum: in ægris verò, vel ad morbos dispositis, cernitur luteum. Sunt Serorum totidem, quot Humorum species, ita ut nequicquam, uti videtur, simplex existat, sed quale, Sanguis ipse, mixtum, cuius quoque, si naturaliter sese habeat, tenax est proportionis. Constat hinc, duplex esse Serum genus, unum, ut est humoribus commune omnibus (de quo potissimum hîc) quatenus verò cuique proprium, alterum. Quin & utrumq; rursus geminum, naturalitate & innaturalitate contentum: huius *ixâga* illi *ἰχθῆρον* Græci nominant.

Per *ixâga* Hippocr. non simpliciter Serum intelligit, sed id quod pravâ præditum simul substantiâ & qualitate, unde 2. Epidem. à causâ *ixâgas* vocat, quasdam in cute pustulas.

Plato in Tymæo, ichorem alium sanguinis & quidem mitem, alium acidæ bilis, & agrestem.

stem, citat. Vtriusque autem interpretis Gale-
 nus, crassioris partis colamentum in singulis
 humoribus agnoscens, serorum collatione
 institutâ, bilis nigræ maxime censet noxium;
 benignius, flavæ: magis placidum, pituitæ;
 omnium verò blandissimum, Sanguinis pro-
 nunciavit; nisi corruptione substantiæ pro-
 priæ, aut etiam, quod non insolens, alterius
 in societatem vitii veniente evadat pernicio-
 sius. Seris cuiusque humoris excessum color
 docebit: rubicundior, Sanguinis: pallentior
 pituitæ: flavior, bilis: nigricans, humoris a-
 tri. Sed & gustus, experiri volenti, futurus de-
 clarator: dulcis sapor Sanguinis, insipidus
 vel salsus, pituitæ; bilis flavæ, acris: acidus ni-
 græ. In hasce qui negligentius attendit Ichō-
 rum differentias Medicus, eum & circa Mor-
 borum causas speculando confundi oportet
 atque falli, & in remediorum quoque excogi-
 tatione graviter hallucinari.

Remoto sero, cruor tandem ipse contuen-
 dus. Sanguis exactè percoctus, nulla vitiatu-
 cacochymia, ruborem cum splendore flori-
 dum, ex hepatis carne, representabit; integer-
 rimæ valetudinis documentum. Nam, quia
 syncerus, probè ipsum mistis constare humo-
 ribus, & æquabili chylo ortum, existimandū.
 Is verò, qui diverso positu, velut columbæ
 collum intuenti apparet varicolor, gliscentis
 in tumultum sanguinis edet augurium: quo
 etiam formidabilior multò is, qui maculis
 undi-

undique spectabilis distinctior. Iustus enim tam metus urget vereri; ne, quem molitur natura corruptum secernere Sanguinem, imbellior forte in partem aliquam amandet nobiliorem. Quare festinanter benignis submovendus catharticiis, minimè autem medicamentis irritandus elatteriis; Tripherâ similiter Saracenicâ, Myrobalanis conditis, Intybaciis et decoctis, aut quoque seri usu caprilli emundandus. Sin verò pallorē quandam & albicantiam Sanguis præ se tulerit, indigestionis suspicionem movebit; eoque cruditatis majoris, quò ad lactis propius accesserit candorem. Sunt qui eundem ab adustione pariter generari contendunt; mihi profectò nunquam, præter in corporibus nimium refrigeratis deprehensus: ut plurimum verò morbo venereo correptis, ubi cutis instar, reliquæ massæ adherere solet tenacissimus. Color postea, cum lumine flavus, lividus, viridis, & niger, Sanguinis in bilem, & atrū humorem incendio demutati (sive epatis intemperantiâ evenerit, sive etiam longiori illic Sanguinis hæsitantiâ) facit præjudicium. Quod si autem ater, vel quoque lividus spondoris expers spectetur obscurus, arguet potius frigiditatem. Quemadmodum autem ibi, acria atq; dulcia; sic hîc noxia sunt quæcunq; acida. Ferrarò admodum observatus sanguis cineritius est, ea propter, quod color hic extremæ sit exustionis terminus. Sicut verò laudabilis

dabilis superficie color Sanguinis, quò descenderit in massam altiùs, & signum lætius; sic quanto deterior, tristius.

Præter hæc modò adducta, alia duo restant, nunquam sese grumo immergentia, sed superficietenus duntaxat hærentia, ubi adfuerint, consideranda. Primum pingue quiddam, ad implicationis araneæ telæ formam superextensum; id quidem in obœsis, Sanguinis in adipem transitum; in gracilibus verò, ob colliquationem, marcorem portendit. Alterum, & visu frequentius, perstans spuma est, (nam quæ floris impetu emergit, nunquam durabilis) hæc crassus humido viscido inclusus flatus; qui tenuior, exhibet bullas. Flatus igitur omnis, siquidem debilis caloris filius, calefactoria postulat attenuantia, quibus ille dissolvitur & natura corroboratur.

Hiscæ actis perspectisque omnibus, concretus postremò rudiculâ pertentandus Sanguis, qui impulsui renitens, pituitæ lentorem patefacit, illiusque in substantiæ modo vitium, incidentibus emendandus. Obediens autem promptè, spondet mediocritatem. At illico ad bacilli tactum dissiliens, fibrosi generis consistetur putredinem.

Solent quandoque etiam, contrectantibus Sanguinem Carunculæ quædam sese offerre, cineres item atque arenulæ; quæ ablutione, colaturâque, distinctiora effici debent corpuscula. Hæc penitiùs digitis explorata, friabilia si

lia si fuerint, corruptas adustione humores ostendent, fœdamque ominabuntur scabiem: sin candida, lentorem ducant; corporis impinguationem & facultatem assimilatricem validam demonstrabunt. Alicubi de leprâ suspectorum cruorem, sale aspergunt, aut acerrimo aceto committunt, quo porrò consistente, ipsos quasi convictos, morbi reos peragunt.

Repeto quod sum præfatus: Sanguinem nimirum, præter corporis constitutionem, mentis quoque manifestare indolem. Sensit istud de nat. hom. Hippocr. idque libro singulari, cui titulus, Quod animi mores corp. temper. sequantur, confirmavit Galenus. Aristot. quoque in Physiognomicis, pariter à corpore Animam, ac hoc ab illâ mutari affirmavit. Cui & Avicennæ dictum hoc: sicut Animam corpus sequitur in suis actionibus, ita Anima corpus, in ipsius passionibus, consentit.

Quis denique nativis corporum temperamentis, humorum commutatione, in contraria versis, Animi affectus atque studia non videt permutari? Cernuntur, quibus abundantior bilis est, humor mobilis, ingenuo præditi excogitatorio promptoque, iracundo tamen & sententias præcipitanti. Contrà, Melancholiâ abundantes, succo subsidente tardo, quieti potius consultant, & sibi constantes, deliberatè iudicium proferunt, inmutabiles. Sanguinei in inveniando, judi-

cando.

candoque perstant medii. Simplicitatis autem & ignaviae author, in quibus excedit puita. Etsi verò his diversis Sanguinis temperaturis affectus hominum variant, sensusque animi, non ob id tamen constitutionem hanc, quod quibusdam etiam doctis putatum est, Animam ipsam, adeoque Mentem esse, concludendum. Sic enim foret hæc, quod cogitatu turpe, dictu impium, merum accidens. Verùm inesse nobis aliam temperaturâ superiorem, diviniorem formam atque substantiam, vel unum istud satis convincat, quod non secus, ac in cicurandis indomitis bestis potens institutio, humanis affectibus dominetur ratio, Magistra superior actionum.

Ioan. Iessenius à Iessen.

LXI.

*Purgante assumpto, gula aut regionis
Ventriculi, calida non sunt
applicanda.*

Malè iis consulitur, quibus ab assumpto Pharmaco, ne vomitus superveniat, calidi panni, aut gulæ, aut regioni ventriculi applicantur; illud enim potius vomitum trahendo conciliat, hoc autem & calorem naturalem à loco avocat & sæpenumero flatus excitando, ex materiâ in ventriculo contentâ nauseam promovet. Gulæ igitur & Oesophago, potius frigida statim admoventi debent, ventriculo autem

autem non nisi, cum difficulter ad actum deduci potest, aut dolor à flatu concitatur, calida applicentur. Cavendum autem semper, ne calor excedat; revocatur enim potius sic Natura ab opere.

Septal. l. 3. animad. med. part. 7.

LXII.

Mercurius duplex; summum omnis corruptionis & putredinis alexipharmacum.

Mercurius duplex est, naturalis & artificialis. Nativus activus & summe depuratus, in Almagro propè Calatrava, in regno Castiliæ reperitur vivus, per se fluens, & in Cimabari coagulatus, qui ignis vi educitur. Hanc mineram antiquissimam, Plinius vocat vomicam liquoris æterni. Huic similis reperitur in Idriâ, pago Comitatus Goritz in Sclavoniâ. Sed Hispanica bonitate excellit: quamvis Idria longè fertilior. Est autem admiratione dignum, quod quamvis in vicinia Idriæ, singulis ferè Annis lues pestifera grassari: illa tamen ab hac immunis non manere soleat: id quod viri provectæ ætatis sese observasse, idemq; à Majoribus suis accepisse, mihi ante Annos 8. eò profecto, sanctè confirmarunt. Non minus & illud stupendum, prodigioque simile: quod ibidem notavi. Senex erat decrepitus, qui toto vitæ suæ tempore, in pa-

E

randa

randâ cinabari, consumpto, perpetuò tremebat: & aureum nummum manu compressum, ita dealbabat: ut colore ejus nativus omninò dispareret.

Reperitur & alius Mercurius in monte Gimnavoda dicta, 6. miliaribus à Cracovia in Polonia, inter Tarnava, Ribie & Streletzky, distante, qui sponte certis anni temporibus, usque ad terræ superficiem erumpit: præsertim autem autumnali tempore: quamvis etiam circa festum Ioan. Baptistæ, multa grana pisorum instar, in radicibus graminum, ibidem collegerim. Verum, hic Mercurius nimis aqueus & Sclavonico, ut & Hispanico longè inferior. Invenitur etiam naturalis, in multis aliis locis: & interdum in auri & argenti fodinis.

Artificialis fit, modo satis trito & Artistis noto, per sales resuscitativos, tam ex mediis mineralibus, quam metallis. Quin & in hac urbe plures viros fide dignos & præcipuæ autoritatis, dignitatisque novi: qui non modò è Mineralibus, sed etiam ex sanguine humano prius calcinato, & ex plantis etiam, Mercurium vivum elicere.

Beguin. l. 2. tyroc. chym. c. 13.

LXIII.

Mercurii probatio.

Quemvis Mercurium oblatum hac arte proba-

probabis cochleari argenteo, tantillum Mercurii, supra candelam, aut carbonem ignitum exhalari permittito: in fumū enim abit mox. Qui si argentum aureo tinxerit, certus esto esse purum & laudatum Mercurium. Sin nigro quodam, aut livido vel fusco inficiat, certum est, impurum esse & malignā aut etiam venenatā qualitate præditum. Atque hic certissimus, tutissimusque est probandi Mercurii, & puri & laudati, ab impuro atque illaudato dijudicandi modus.

Querc. in consil. de l. vener. p. 371. Beguin. l. c. Hic modus videtur suspectus Libav. in Apoc. Hermet. cum ex eo concludi nequeat, de totā quantitate, præsertim si vel plumbum, vel stannum aut bismuthum, non exquisitè fuerint Mercurio permixta. idcirco satius esse docet, per Tartarum & calcem vivam, bis vel ter distillare, tunc enim posse vulgariter etiam, in Pilulis, Emplastris, Unguentis, Amuletis, vaporationibus Chirurgicis scirrorum, ad vulgare præcipitatum & similia adhiberi.

Varios depurandi Mercurium modos, ut tutò ad usum Medicum possit adhiberi, vide apud Vnzer. l. 1. Anatom. Mercur. Spargir. c. 9.

LXIV.

Vt Mercurius sophisticetur.

Mercurius plurimū sophisticatur cum plumbo, quod beneficio bismuthi (ut vocant

E 2

Ger-

Germani) tam benè apteque miscetur, atque cum Mercurio dissolvitur, ut ipsa non possit melius aqua cum aquâ. Et miscetur, inquam, si vel aquis partibus plumbum cum hydrargyro sumatur, modo & ratione prædicta. Nec miscetur tantùm, sed transit etiam Plumbum cum eo, per linthea æquè mobile ac fluidum, ac si nihil esset aliud, quàm solus, purus, putus Mercurius, ut non sit talem fraudem discernere, aut detegere visu. Sed viderint interim, qui tali utuntur inunctionibus aut aliis, quid agant. Nam noxius est admodum & prorsus malignus, ut quivis facilè secum perpendere potest, nec attinet eâ de re plura à nob. dici, cum ex naturâ ipsâ. Plumbi frigidissimâ, atq; terrestri (quæ tamen Mercurii vehiculo internas etiam subire solet partes, ipsasque adeò membranas atque ligaturas) satis manifestè appareat, quid boni inde consequi possit. Et quod pejus, nec exhalari aut dissipari potest æquè facilè, ac Mercurius, quem constat naturæ esse aëreæ, ac prorsus spiritualis: & per consequens exhalationi opportunæ. Nec sophisticari tantùm artificio potest & solet Mercurius, uti jam dictum, & à nullo hætenus observatum est: sed in propriis etiam mineris, allicere sibi que consociare potest Mercurius, varias corporum terrestrium & prorsus heterogeneas qualitates, ut ex mineris plumbi, antimonii, aliisque substantiis metallicis, quæ proximè assident, aut adherent mineris argenti.

genti vivi: unde ei imprimi possunt variæ vires, propria verò ejus virtus perturbari, atque infici. Quare diligens adhibenda est cautio, in electione Mercurii, nisi velimus frustrari voto, aut aliquid sinistri in ejus usu evenire, ut nimis sæpè accidere solet.

Quercet. l.c.

Vide cent. 4. nostr. mem. part. 90. & seqq. cent. 5. part. 86. & seqq.

LXV.

*Cinguli Mercurialis infelices
successus.*

Agyta, impostoresque Medici, astuto velo tegere aggressi sunt, ut sub alia specie hominibus nocere possent: etenim Cingulis Mercurium & monilibus incluserunt, quæ scabiosorum & cutis prurigine laborantium hominum lumbis circumdederunt ac carpis manuum applicarunt. Atque hæc quidem cingula & armillæ, tetrum illud argenti vivi virus, in corpus gestantis ejaculabantur, quod adeò per universum ejus habitum pervadebat, ut fætentes protinus saliva per ora faucesque defluerent, collum intumesceret, pedes vacillarent, ac viscera nobilia magis co inquinarentur, quam cutis prius fædâ scabie, quam hoc periculoso & noxio medicationis modo depellere nitebantur, turbata fuerat. (a)

Fidem facient subsequentes historiae. Cingulum

E 3

gulum

gulum autem duorum transversorum digitorum latum & ex limbo panni adaptatum, Mercurio crudo & axungia porcinâ, vulgari modo extincto imbuitur, nudisque lumbis induitur. (b) Quidam Mercurium salivâ aut sævo extinctum, albumine ovi excipiunt & illinunt supra gossypium, quod in cinguli modum suendo, conficiunt. (c)

Honestâ quædam matrona, annorum æt. 40. circ. constitutione corporis humidâ & obcesâ & corpulenta, cum Ann. 1621. M. Februar. propter pruritus, levemque scabiem cingulum hoc per 3. hebdomadas, dies noctesque gestasset, à scabie & pruritu quidem liberata fuit, sed in morbum longè peiorem incidit. Superveniente enim salivatione, atque gingivarum exulceratione, cum gravedine capitis, nausæâ, & catarrho correpta fuit, cum virium quadam prostratione, quem dolores cû totius sinistri lateris impotentia mox sequebantur, multis tandem adhibitis remediis in integrum restituta fuit. (d)

2. Senex quidam podagricus scabie laboravit, cuius tædio usus est. cingulo mercuriali, à quo quidem scabies decessit, at virus Mercurii in corpus receptum, infecit palatum, gurgulionem & fauces exulceravit, serpentes faciendo aphras & foetidâ, salivationem copiosam & spumantia labia, anhelitus tetrè olens, qualia accidentia ab inunctione & suffumigia Mercurii provenire solent: dentes
vacil-

vacillabant, gingivæ tumidæ, buccæ exulceratæ, tensio in nervis & tendinibus colli, duritiesque, maxillarum immobilitas, masticatio impedita, deglutitio depravata, appetitus prostratus, febris, lenta hæctica, lipothymia multæ, vires debilissimæ. Tandem octavâ septimanâ hujus morbi, obiit totus emaciatus & paululum convulsus. (e)

3. Jurisconsultum eleganter doctum novi, Tubingæ olim meum congerronem, usu cinguli Mercurialis, scabie repercussâ. Ictericum factum, qui agrè curari potuit. (f)

a) *Minder. threnod. Medic. c. 14. p. 330.* b) d) *Fabric. cent. 5. obser. 93.* c. e.) *Hochstetter decad. 3. obser. cas. 7. p. 241. 244. 247.* f) *Autor ex. obs. prop.*

Plura de cingulo Mercuriali vide Oberndorferum, in apol. Med. chym. pract. p. 30. & seqq. & Ruland. in alexic. chymiatr. p. 44. & seqq.

LXVI.

VitriGori temeritatis & insolentia justas luunt pœnas.

Satellites cujusdam Regis, se vino ingurgitantes, contuderunt vitrea pocula, ac alter alteri præbuit illum pulverem. Elapsis vix duobus mensibus, omnes mortui sunt.

Ante paucos Annos fuerunt quidam Ambergæ, in Bavaria, qui longâ potatione inebriati, tandem vasa testacea, è quibus biberant

contundunt, seu in pulverem redigunt, & alter alteri illum pulverem in vino præbibit: tandem ventum est ad vitra, quæ similiter in pulverem redacta sunt, ac invicem sibi præbuerunt. Hæc historia hûc scripta est, additumque erat in litteris, tres ex Nobilium numero eo die esse mortuos, reliquos agrotare & mortem certissimam expectare. (a)

Ego hîc in vicinia tres cognovi viros robustissimos, quorum duo adhuc vivunt & quidê satis commodè: tertius verò ante annos duos ex phrasi obiit: hi vitra quamplurima veluti cum aviditate devorârunt. Quomodo autem fragmenta illa ventriculum & intestinas, partes exquisitissimo sensu præditas, sine mortis periculo pertransire potuerint, nescio. (b)

a) *Manlius in loc. com. p. 243.* b) *Fabric. cent. 5. obser. 2. Idem, In Vorbereitung zum Christlichen Schlaftrunk: pag. 25.* Ist ein vberaus grosses wunder / vnd kan nicht wissen / wie es der Natur möglich sein tönde / solche scharffe vnd schneidende spitzen der Gläser / durch das zarte / vnd vberaus empfindliche Eingeweid / widerumb von den Menschen ohne tödtlichen schmerzen zutreiben / &c.

Vide centur. meam memorab. 5. part. 6.

LXVII.

Mendicantium vaframenta.

1. *Historia adulterini brachii.*

An. 1525. cum essem Andegavi, stabat pro tempore

templi foribus vafer Mendicus, qui proprio brachio post terga revincto & abdito, in ejus locum ex suspendio si cadavere resectum, thoraci adjunctum, furculâ fulciete, populo ostentabat, quasi sacro igne correptum, quo prætereuntes in sui commiserationem magis incitaret. Latuitque fraus, omnibus certatim stipem erogantibus, donec tandem haud fideliter adnexum, solutis omnibus vinculis, in terram procidit, spectantibus & observantibus multis. Comprehensus & in carcerem cõjectus, magistratus sententiâ, alligato ex cervice & in pectus propendente adulterino brachio, virgis publicè cœsus est, & in exilium ejectus.

LXVIII.

2. De mammâ cancrôsâ ementitâ, &
3. ulcere tibia.

Frater meus Ioan. Paræus Chirurgus, Vitreâ in Britannia habitans, aliquando animadvertit mulierculâ mendicantem, quæ mammam ostentabat, velut cancrôsô ulcere obsessam aspectu horribili, propter multum & sordidû pus, quod in subjectum linteum manare videbatur. Mulierculæ faciem, vividamque in facie & circumstantibus ulcus locis colorem, totius denique corporis colori illi consentientem evexiam, cum propius & diligentius esset contemplatus, facile adductus est in suspicionem latentis doli. Conjecturam suam

E 5

Magi-

Magistratui indicavit, impetravitq; , ut Mendicam illam sibi liceret in suas ædes deducere, quo certiore notâ rem omnem exploraret. Renudato igitur ejus pectore, comperit sub axillâ spongiam, imbutam liquore ex brutino sanguine & lacte commixto, sambucino tubulo, per latentia ficti cancrofi ulceris foramina decurrente. Ergo calente aquâ mammam fovit, udoq; lotu sibi invicem superextas, & glutine ex bolo armeno, ovi albumine & farinâ coherentes, ranarum nigrarum, viridium & citrinarum pelliculas resolvit, hisque resolutis subjectam mammam integrâ sanitate fruentem comperit. Conjectâ in carcerem eo nomine mendica falsa est, eas se fraudes edoctam à mendico adultero, qui & ipse circumposito tibiæ liene bubulo, certisque locis, quibus commoratus liquor stillaret perforato, monstrosæ magnitudinis & malignitatis ulcus, circumtectis undique sordidato linteolo lienis appositi marginibus effingebat. Quæ situs sedulo mendicus, comperi non potuit, ipsa lotis operata, in exilium acta est.

LXIX.

4. *De Elephanticum simulante.*

Vix Annus exactus erat, cum in eandem Urbem appulit, mirè verispellis alter ejusdem farinae Mendicus, qui occupatis statim templi foribus merces suas explicuit, ricam nempe, minutâ stipe, qualis in pauperes erogari solet.

onu-

onustam, ligneum doliolum & crepitacula,
 quæ dextrâ manu comprehensa, magno stre-
 pitu ex intervallis concutiebat. Facies illi
 crassioribus pustulis conspersa assurgebat, cõ-
 fictis fabrili glutino ex rubro, Elephantico-
 rum in morem, livescente. Hæc cum persona,
 horridum aspectu, omnibus miserabilem red-
 debat, quod causæ erat, cur illi quisque de suo
 erogaret. Tum frater meus, se illi propius ad-
 movit, quæsitque ex quo tempore tam diro
 morbo correptus esset: ille obscurâ voce rau-
 câ respondit, ab utero se materno Elephantico-
 cum prodiisse. Elephantem tam diro sibi utrun-
 que parentem mortuum, ut membra frustra-
 tum conciderent. Cæterum, laneam circa fau-
 ces fasciolam habebat, quâ manu lavâ, sub
 pallio constrictâ, guttur sibi sic arctabat, ut si-
 mul multus sanguis ater in faciem assurgeret,
 & vox vix vi erumpens, magis raucesceret:
 continere tamen se non potuit, quin inter lo-
 quendum ducendi liberiùs aëris gratiâ fasciâ
 remitteret. Quod postquâ animadvertit Fra-
 ter, fraudem subesse ratus, à Magistratu impe-
 travit, ut sibi liceret hominem, verè ne Ele-
 phanticus esset, probare & examinare. Pri-
 mùm igitur ipsi fasciam cervicibus circum-
 fusam exemit, inde tepente aquâ, faciem la-
 vix, sic ut ficta & glutino coagmentata tuber-
 cula dissolverentur, faciesque vitii omnis ex-
 pers, naturali & bono colore ac caractere re-
 maderet. Totum inde ipsi corpus renudavit.

anxieq; vestigatis & lustratis omnibus membris, nullum Elephantis signum univocum aut æquivocum comperit. Quod postquam rescivit Magistratus, comprehensum ipsum, & in vincula coniectum, iterum, tertiumque per urbis compita, flagris cadendum, pendente in pectus doliolo, in dorso verò crepitaculis tortori tradidit, additâ perpetuâ exilii poenâ. Accidit, dum tertiâ nundinali die cæderetur, ut per jocum conclamaret populus, ne vereretur eum gnaviter cædere, qui se Elephanticum professus, nihil planè sentiret: acclamatione urgentis populi accensus carnifex, adeò cædendo invecus est, ut paucis post diebus miser ille & mendicus flagris interierit, dignus profectò tali mercede.

Parvus l. 24. oper. chir. c. 18.

LXX.

An tenebræ sensu oculorum percipiuntur.

Tenebræ non percipiuntur sensu oculorum per se, sed per accidens, id est, ex absentia formæ seu habitus, id est, coloris aspectus percipit tenebras aeris, quatenus animal cognoscit suum adspectum, non percipere lumen aeris & colorem, nec ab eo affici, seu tunc dicuntur tenebræ cerni, cum in rebus objectis luminis capacibus nullum cernitur lumen. Hinc judicari possit de eo, an somnus videatur? an
filen-

silentium audiatur? Privatio enim non sensu,
sed intellectu percipitur. 10. Metaph. Arist.

Goglen. P. in anal. in exerc. Scalig. p. 8.

LXXI.

*Gallarum inspectio, post festum D. Mi-
chaelis, quid superstitionis
habeat.*

Non exigua superstitione laborat observa-
tio & inspectio Gallarum, quas glanditeræ ar-
bores pariunt: cujus figmenti Ranzovius (vir
aliàs doctissimus) acerrimus est assertor &
propagator. (a) Inquit enim, si post festum
Michælis, in globulis Gallarum reperiuntur
vermiculi, ubertatem frugum promittunt; si
mulcæ, portendunt bella, si aranei, minitan-
tur pestem. Causas obscuras non esse dicit,
cum vermiculos ex putrefactione natos, argu-
mentum & indicatiû esse constitutionis cœli ca-
lidæ & humidæ, quæ fœcundat terram, & re-
bus nascentibus suppeditat vigorem, affirmat.
Muscas urentem siccitatem arguere dicitur,
qua inflammata corpora & velut ustulata im-
plentur fervidis & acris humoribus. Ara-
neos ex venenata, contagiosa & impura putre-
dine nasci dicit, quam corripientem & infi-
cientem corpora humana in pestilentes fe-
bres: putredine verò augefcente, erumpentes
in bubones pestilentes & anthraces, exarde-
scere colligit.

E 7

Quam-

Quamvis itaque hac in parte Astrologi sibi repugnant, quibusdam vermiculo reperto ubertatem annonæ, quibusdam vero sterilitatem significare & polliceri statuentibus, omnium tamen horum opinio vana est, & inutilis. Concedent enim illi, ut credo, libenter, hujus putrefactionis humoris, ex quo musca, vel vermiculus araneus vel simile animal nascitur, causam esse præcipuam aeris ambientis dispositionem & qualitatem: quod si est, cur quæso non eodem momento aerem ambientem idem in corpore humano efficere, quod in Gallarum globulis profert, statuitur? quæ causa quæso moræ & dilationis in sequentem annum? non certe natura venenati aeris, cuius proprium est, omnia quàm statim inficere, infecta destruere & corrumpere, nisi forsitan naturalis calor intensus veneni hujus aculeum retundat. Si enim, ut de araneis loquamur primò, venenato aeri ambienti illa insit vis, ut valeat in gallarum globulis ex putrefactione producere araneum, multò magis in corpore humano, attractus per respirationem, pestem & mortem ipsam procreabit. Quid de vermiculis, qui qualitatem aeris sequentis anni designant, dicam? vix enim est, ut aliquis mente constans, efficientem causam postponat effectui, quod tamen necessario faciunt illi, qui huic superstitiosæ divinationi insistent. Aer ambiens enim, in præcedente anno vermiculi generationem causat,

cujus

cujus qualitas ex effectu dignoscitur: præcessisse ergò effectum, non sequi necesse est; quod si est, cur non potius præteriti, aut præsentis, quàm futuri anni habitudinem arguit; utpote cum nullo modo vermiculi, ex hac vermiculi generatione possit colligi, eandem aeris constitutionem in sequentem usque Annum duraturam, quod tamen ridiculè à talibus divinatoribus fingitur. Eadem ratio militat in Musca, quæ secundum ipsorum somnia, bella, tumultus adnunciat, cum scilicet tempore æstivo, multum negotii hominibus. & brutis facere soleat. Nec admittenda discrepantia subjectorum, quorum diversitas efficiat, ut hoc vel illud tardiùs vel citiùs, invadat infectio, cum teneritate & mollicie corpus humanum nulli cedat animalium: natura verò aeris venenati hæc fit, ut non præparet, sed inficiat & generet ipsum malum. Præparationem autem mali, à generatione distare, firmissimis inductis rationibus arbitror: nec enim illicò præparationem sequitur malum, sed plerumque impeditur, quod in generatione mali rarissimè contingit: illa quidem aliquândo diuturnum tempus, hæc verò modicum requirit intervallum, utpote omnibus ad generationem paratis. (b)

a) *In Calendar. Astronom. p. 61. Mizald. cent. 7. memor. 33.* b) *Sattler. in dian. astr. c. 7.*

Ther...

Thermarum caloris causa.

Vera Thermarum caloris causa, ignis est subterraneus, qui fovetur & sustentatur, à materiâ pingui, oleosâ atque aërea; qualis est bituminosa & sulphurea: quæ aliquando mixta: sæpius bituminosa: frequentissime sulphurea. Nil quippe facilius accenditur sulphure: apparetque in eo vis ignis maxima. Ratio est, quia pingue & oleolum: quo nonne pinguedo & axungia terræ à fossilium rerum scriptoribus appellatur. Accenditur verò ab halitibus, non quibuslibet (quia non omnes inflammati sunt apti) sed certis ac definitis, certa que ex materia eductis: quales sunt sulphurei & bituminosi, qui à terræ calore, à simili materiâ exuscitantur: cumque levissimi sint, valdeque mobiles, sursùm tendunt & exitum quærunt; eam tamen præ terræ soliditate non ubique inveniunt. Itaq; angustiis inclusi agitantur, colliduntur, & ad circumstantia corpora, quæ vel saxea, vel terrea impelluntur: ex quâ collisione & attritione incallescunt, attenuantur, tandemq; profus igniuntur. Hinc corpora subterranea, quæ flammam facile concipiunt, ut sulphur, bitumen, ejusque species, quæ variæ, accenduntur: quæ accensæ perfluentes aquas calefaciunt.

Quis-

LXXIII.

*Quibus in locis, ignis subterraneus, a-
quas præterlabentes cale-
faciat.*

Cæterum non uno semper in loco accensus iste ignis subterraneus præterlabentes aquas caletacit: sed vel in venis ipsis terreis, aut saxeis, hoc est, ipsis canalibus, alveis, atque ductibus, per quos aquæ feruntur: vel extra venas: vel utrobique: cum pabulum ignis undique sparsum est. Ignis in canalibus accensus cognoscitur, si aquæ & colore & odore & sapore, admodum fomitem bituminosum, aut sulphureum referant: multum etiam de corpore & crassamento ejus secum vehant & eructent. Ad hæc insigniter caleant: eoque intensius, quò ignis scaturigini est vicinior & major. Unde Thermas quasdam magno cum murmure, & quidem ebullientes, effluere videmus: quas hoc nomine Bullas appellant. In nonnullis etiam ignis adeò vicinus est scaturigini, sive meatui cuniculi, ut unâ cum aquis flammæ erumpant. Quod ipsum non solum in canalium ostiis: verum etiam in balnearum pavimentis & piscinarum vadis, dimissâ aquâ observatur.

Extra verò canales accensus intelligitur, si Thermæ minus ferveant, aut caleant solum: item, si non multum ex substantia bituminis aut sulphuris, vel subsidens vel innatans habeant:

beant: denique si non ita manifestè calorem, odorem & saporem istarum minerarum repræsentent. Nam quo longiùs à canalibus Thermarum ignis est diffusus, eò quoque longiùs ab iis fomes & pabulum ignis abest. Aqua ergò per longum, forsan etiam flexuosum canalium iter, fervorem deponit, non nihil alteratur & crassamentum minerale in itineris cursu, majori ex parte amittit.

Plin. natur. hist. l. 35. c. 15. Sebixius de acidul. sect. 1. dissert. 2. coroll. posit. 4. 16. & seqq. dissert. 6. posit. 28. Kueffer, in descript. therm. Marchic. c. 2. p. 52. & seqq. Pansa c. 1. de Th. Carolin. Schwenckfeld. de Therm. Hirschbergens. p. 14.

Vide Cent. nostr. 4. part. 70. cent. 5. part. 40. & seqq.

LXXIII.

Ignem subterraneum Bitumen & Sulphur alunt.

Perennem quendam fomitem esse oportet, materiamque, quâ alatur ignis subterraneus: quænam illa? Georgius Agricola, vir in secretis naturæ subterraneis longè peritissimus, subjectum conservans ignem sub terrâ Bitumen esse dixit: (a) Aristoteles verò Sulphur. (b) Gabriel Fallopius, experientiâ Aristotelis effatum confirmat: In agro Volaterrano ait, monte dicto Cerbero sunt balnea vetustissima, quæ oculis conspicua, non subterranea,
ita ut

ita ut quisque cernere possit, aquas illas cale-
fieri à Sulphure, quod in illis ebullit, & in
marginibus lacunæ Sulphur passim reperitur.
(c) Non negat tamen, quod & Bitumen sit
in quibusdam locis pabulum, perpetui ignis.
Statuendum ergò, quod ignis subterraneus
in quibusdam à Sulphure, in quibusdam à Bi-
tumine nutrimentum capiat.

Sed objicitur,

I. Si ita est, tota terra intus Sulphur erit &
Bitumen: quum à memoriâ hominum Ther-
mæ emanarint, nec dum desinant: unde se-
quitur semper ignem hunc conservari. Sed
quanto indigebit pabulo? verum sufficere nos
arbitramur, tantum adesse Sulphuris vel Bi-
tuminis, quantum alendus ignis postulat.
Atqui semper adest, cum perpetuò generetur,
atque semper sufficiat materia ex quâ: & quum
semper generetur, semper quoque alit ignem.
Ferrum cæteraque metalla regenerari fossio-
res Metallici docent. Strabo idem testatur de
Insula Ilva, ubi ferrifodinæ: quas si incolæ
post defluxum centum annorum reviserent,
maximam ferri copiam regeratam invenie-
bant. Quid se Sulphuris & Bituminis gene-
ratione continuâ rogas, quum de Ferro, ut
Metallo durissimo, id manifestum sit? (d)
Ambo hæc quatuor postulare annos Auctor
est Fallopius, (e) idemque de Bitumine in
agro Mutinensi Italicæ memorant Histo-
ria.

Obji-

Objicitur 2. Si Sulphur & Bitumen materia aliti ignis subterranei sunt, ignis mutabit locum, atque ex eo, non eo loco, ubi ante multos annos Thermæ erupere, etiam hodie fluent: nec semper in pari calore, sed nunc tepidæ, nunc fervidæ, nunc alio in loco. At contrarium patet. Ergò. Confirmatur Major, quia Sulphur vel ardet totum: & sic jam dudum esset consumptum; vel pars in illo post partem, & sic aliquando. Sed facile avertitur telum hoc ab illis, qui flammam duobus modis ali. intelligunt. Alitur enim ignis hic, vel eo modo, ut flamma insequatur materiam, sicut videre est in igne, urente lignum, aut stipulas: vel altero, quando ignem sequitur materia, ut fit in lucerna, ubi oleum insequitur flammam, non flamma oleum. Posteriori modo Sulphur & Bitumen alunt ignem sub terrâ. De Bitumine quidem non dubitandum, quum liquidum sit: de Sulphure verò ambiges; cujus partem post partem uri, quum solidæ sit substantiæ, nec eliquari à flammâ dices, ut ignem consequatur. Quid ergò? in concavitatibus terræ non accenditur tantum Sulphur à flamma, sed & eliquescit. Rationem vis; quia contra experientiam pugnare vides. Do. Parietes cavernarum subterranearum igniti sunt unde Sulphur eliquatur, eliquarum flammam contingit. Pone Sulphuris fragmentum in ollam cineribus calidis impositam, eliquabitur urique à calore ollæ

am-

ambientis; eliquatum ubi fuerit, adde lych-
nium & accende, videbis eliquatum sulphur
consequi flammam. Sic res se omnino habet,
in cavernis illis terræ, ubi non à flamma, sed
parietum fervore eliquatur Sulphur, atque
flammam sequitur: & sic continuè incale-
scunt aquæ, igne ipso locum minimè permu-
tante. (f)

a) l. de subterr. b) sect. 14. probl. 19.
c. e.) l. de aq. therm. & metall. c. 5. d. f.) Cel-
lar. partit. meteorol. sect. 33. artic. 3.

LXXIV.

*Vnde acitula saporem suum ha-
beant.*

Mineralia, quæ Acidulis insunt, duplicis
sunt generis; acida & acore destituta. Ab his
vires quidem Acidulæ accipiunt: at non sapo-
rem acidum. Ab illis, & vires & aciditatem
habent: intensiorem quidem à calcantho &
ejus (a) speciebus: (ubi enim inveniuntur
acidæ, ibidem aut certè locis conterminis
chalcanthi fodinas reperire est. 2. Chalcan-
tum saporis acidissimi esse norunt omnes
Chymistæ, qui vel chalcantho, vel ejus oleo,
aut spiritu, quo nihil acidius, dicto citiùs, tin-
cturam rosarum, acore jucundissimo, cum
febris calentiissimis, ipsæque peste pugnan-
tem (b) concinant) remissiore verò ab
Alumine: adhuc remissiore ab ære sive cu-
pro.

pro. (c) (Si enim Chalcanthum causa acoris est, erit & Cuprum: quoniam hoc illius particeps est. Vbi enim cuprum est, ibi & Chalcanthi aliquod genus est. Chalcanthi enim genera, sunt Cupri initia. Quam ob causam nomen obtinuit, Chalcanthum, quasi sit $\chi\alpha\lambda\kappa\tilde{\alpha}\ \acute{\alpha}\nu\theta\omicron\varsigma$, æris flos: eò quòd ex ære quodammodo (d) efflorescat) infirmisimam à Ferro. Ferratæ enim Aquæ, nil aciditatis habere videntur, & Fabrorum illa Aqua, in quâ candentia ferramenta extinguuntur, nihil præ se fert acoris. Crocus insuper Martis, minimè acidus sentitur. (e)

a. c.) *Sebiz. sect. 1. de Acidul. dissert. 4. posit. 79.* b) *Henr. ab Heer, de frat. Spad. c. 6.* d) *Agric. l. 5. de re metall. § 13. de nat. fossil.* e) *Sebiz. l. c. posit. 75. diss. 8. th. 4. Macah. in descript. fontis acid. Egrenf. c. 4. § 3. Henr. Ellenberg in acid. Wildung. Comit. Waldek, c. 1.*

De Acidulis Gøppingens. Vide cent. nostr. 6. part. 1.

LXXV.

Nota spirituum in aquis medicatis.

Spiritus (a quarum Medicarum quasi anima) partim accedunt ad naturam ætheræam: quatenus purissimi & sincerissimi: partim ad ignem & aërem: quatenus tenuissimi & levissimi, ideoque corpora valdè $\epsilon\upsilon\epsilon\gamma\eta\tau\iota\kappa\acute{\alpha}$ atque **effica-**

efficacia. Eorum autem præsentia realis perspicitur.

1. si aqua sit clara, sive limpida atque perspicua, tenuis item & levis.

2. si bullulas habeat multas, velut uniones, hinc inde discurrentes, præsertim cum aqua recens est in poculum fusa.

3. si non diu maneat in hypochondriis: sed celeriter, vel per alvum, vel per urinæ meatus, vel per spiraculis cutis excernatur.

4. Si facile alteretur, & viribus exuatur. Sunt enim spiritus corpora subtilissima. Itaque facillimè exhalant: nisi receptacula probe obturentur. Promptè etiam à calore externo dissipantur. Citò proinde spirituosæ aquæ virtus evanescit, cum vel aliò transportatur: vel coquitur: vel in tepidariis asservatur.

5. Si vis in aquâ observetur mineralis: corporea tamen minera in illâ non appareat. Signum quippe est, Aquam non *σωματικὴν* esse mistam: sed *πνευματικὴν* tinctam.

6. Si pota, vel nares statim feriat: (a) vel oculos lancinet: vel ructus moveat: vel aurium tinnitum excitet: vel caput impleat: vel spiritus animales quodammodò agitet, in gyrum ducat & vertiginis quâdam speciem efficiat.

7. Si cum impetu ac furore profiliat ex scarebrâ. (b) Notat enim Andernacus, aquas nonnullas medicatas, etiam actu frigidas,

das, cum sonitu quodam effluere, non secus ac si ferverent. (c)

a) *Matth. Hörnigk in descript. font. acid. Ægrens. Schleder. c. 4.* b) *Sebiz. dissert. 5. de acid. sect. 1. posit. 50. § 48. § coroll. cit. diss. § dissert. 6. pos. 20. sect. 2. dissert. 1. posit. 123.* c) *Dialog. 2. de baln. p. 124. 127. 133. 134. 135. 138. § 147. Hafenreff. descript. font. acid. in Nidera W c. 2. Agricola. l. 1. de nat. eorum, que ex terra effluunt. t. 26.*

LXXVI.

Elleboratum Vinum elegans, & innoxium *ἰνὸ βῆισον ὀπτῆ-
ματι.*

Accipimus radicem Ellebori albi crassiusculè contusarum semunciam: foliæ indimus ac effundimus vini Hispanici, quod Petrus Semenus vocatur, libram. Solibus æstivis exponimus. Dams cochlearium vini. validè vomitum movet, nec affligit admodum. Interdum semicochlearium miscemus cum aliis laxantibus; præclarè subducit alvum, sine vomitu. Quin linctibus, in empyemate guttulas aliquot miscemus, ac copiosissimè expectoratum moveri hinc videmus.

Heurn. de morb. mulier. p. 101. Forest. obser. l. 20. p. 427.

Præ.

LXXVII.

Præstans ἐμετικόν.

Bryoniæ, cyclamin. cujusque uncia tres:
 ellebori albi uncia sex: purgentur accuratè,
 ac redigantur in pulverem: leniter siccentur
 in aëre: his affunde aquam vitæ, dum duobus
 digitis superimineat: digeratur aliquot die-
 bus in balneo: hinc lentè distilletur, dum nil
 ultra elabatur: quod restibile fuerit, iterum
 in pulverem redige, ac huic nuper extractam
 aquam iterum committe: id repetatur ter.
 Plumæ apicem huic liquori immerges, ac vi-
 no malvatico elues, quod propinatum ilicè
 vomitum irritabit. Hæc vis ab elleboro mi-
 cat.

Heurn.l.2. Meth. M.c.21.

LXXVIII.

*Hellebori & Veratri etymon, & cur al-
 bum potius quam nigrum vera-
 trum, vomitum ci-
 eat.*

Helleborus Græcis dictus, παρὰ τὸ εἶναι τῆ
 βορῆ, quod esu perimat, vel quod corporis
 cibum eripiat. Latinis Veratrum quod men-
 tem vertat. (a) Veratrum album vomitum
 potius ciet, quam nigrum, quia vapores ex se
 tenues & acres, os ventriculi erodentes, fun-
 dit magis, quam nigrum. Intelligi hoc ex eo
 potest, quod naribus admotum (si leniter sit
 F tritum)

tritum), sternutationes longè potentiùs moveat, nigro. (b)

a) Bauhin. in pinac. l. 5. sect. 4. c. Fuchs. herb. c. 105 Codronch. c. 1. comm. de helleb. b) Erast. de medic. purg. facult. quest. 2.

LXXIX.

*Ellebori albi succus. sanguini venenum,
carni non.*

D. Ferdinandus, S. M. Imperator, de succo hellebori albi, (quem Hispani Balistariam herbam vocant) quo venatores Hispani sagittas inficiunt, & feras, maximè autem Cervos, interficiunt, hæc commemorabat. In eunte æstate, inquit, succum ex totâ plantâ exprimi, eumque æstivis diebus in Sole præparari, atque in bovino cornu asservari. Cautionem autem summam, ab iis, qui uti volunt, adhiberi, ne odor qui è cidoniis expirat, hunc succum attingat. Subitò enim omnem lædendi vim amittere. (id quod referri non in aliud quàm in formæ vim obscuram potest) Cæterum, si lingua degustetur, nulli noxium esse, sanguini verò communicatum, exitiosum. Cervos vulneratos primùm quasi obstupescere, & perturbari, ita ut visus ereptus illis esse videatur, circumire in gyrum, concidere deinde, & summum intra dimidiæ horæ spacium extinguere. Carnem innoxiam esse, ac tantùm eam partem, quæ vulnerata est, ab-
jici.

fici. Eadem hæc Generosiss. Palatii Impera-
torii præfectus, D. Adamus Dietrichsteinus
commemoravit & confirmavit, atque hoc ad-
didit: Asello, cui ex oneribus ferendis dor-
sum attritum atque sauciatum fuerat, im-
positum Cervum, eo modo, ut dixi, vulneratum
& interfectum, sanguinem, qui ex vulnere
manabat, Asini vulnus fortè attrigisse, atque
isto modo Asellum sic infectum, ut priusquàm
impositum Cervum domum perferret, in iti-
nere mortuus concideret. Imperatorem Ru-
dolphum II. Augustum, vulnerasse sagittâ
cervi tenerum & lacteum cornu, eumque sta-
tim fugâ, tanquam nullum vulnus accepisset
elapsum. Post aliquot horas, cum ex vena-
tione redirent, mortuum repertum. Lacteum
enim humorem istum germanum esse sangui-
ni, Hippocrates nos docuit.

*Crato in epist. Scholtz. ad Ph. Jordan. epist.
139. edit. post. fol. mshz 242. I. Costaus l. 2. de
suis stirp. nat. c. 15.*

Vide cent. 3. nostr. memor. part. 55. & 56.

LXXX.

Singultus remedia.

In Convivio Platonis aderat conviva Ari-
stophanes, qui corripitur singultu, ut ferè fit,
cum nimis festinanter edimus: aderat & Ery-
xymachus Medicus, hic jubet Aristopha-
ni, ut spiritum contineat: quia inde, inquit,

F 2

calor

calor intro coactus augebitur, cuius beneficio vacuabitur materia singultus; hac tamen viâ, non liberato Aristophane, suadet ut aquam frigidam ore contineat, descendit enim ad os ventriculi. Cum non quiesceret singultus, instituit postremo sternutationem, quâ irritatâ, singultu levatus est Aristophanes. Est ergo remedium veterum contra singultum. Nam in sternutatione cerebrum, nervi, ventriculus vehementer concutiuntur, concusso cerebro & ore ventriculi, ubi est singultus, vacuatur plenitudo, causa singultus. Aliquando tamen nascitur, frigefacto ore ventriculi, & tum non diffiatur materia. Itaque sternutamentum concussione suâ calefacit & rarefacit materiam, unde sedatur singultus. At singultus ab inanitione non sedatur iis viis.

Holler. Heurn. & Viscer. in explic. aph. 13. l. 6. Hippocr. Galen. 16. de diffic. spir. l. 3. l. 2. de caus. simpt. c. 6. Forest. l. 5. schol. ad obs. 15. l. 18. schol. ad obs. 12. Cent. 2. nostr. memor. part. 53.

Commune Muliercularum proverbium, singultientem furtivos devorasse cibos, nec omninò ratione caret, nec semper tamen verum est. Hamberg. in app. disp. de sing.

LXXI.

Experimentum ad singultum.

Ad singultum, sunt quædam vulgaria, ut
expe-

experimentum, quod probari vidimus, compresso utrinque ad latera medico digito dextro, rei tristis narratio, aut insolitæ timor, aliò videlicet seductâ virtute animali, quæ respirationem facit. Anisum quoque peculiari ratione singultui medatur. Cuidam nullis remediis cedebat singultus, nisi vino Hippocratico albo: cui refrigeratum fuisse ventriculum par est.

*Holler. schol. ad cap. 33. l. 1. de morb. intern.
Idem, Perioche 8. ad lib. Galen. de comp. med.
sec. loc.*

LXXXII.

*Obstetricum erratum, in praligan-
do umbilico infan-
tum.*

Compertum est, quibus infantibus à partu, ante incisionem, quemvis in vena umbilicali sanguinem violenter ingerunt & intrudunt Obstetrices (ne scilicet esuriant, quasi fames istis sit metuenda, quibus natura os statim aperuit, gulam perviam fecit, appetitumque simul concessit, ita ut eum sæpe indicis manifestis prodant: nec ventriculo officium coquendi denegavit, naturâ simul & facultatem & instrumentum dante: insuper etiam fidelem cibi administram voluerit esse matrem, cui statim à partu, nisi quod vitium est, in angustis venarum, vel aliud, lacte replet mammas, aut si hoc deest, alius conve-

niens cibus suppetit) eos aut valetudinarios fieri, longoque & periculoso confictari morbo, aut brevî mori. Scelus istud excusaturæ postea, ajunt Epilepsiâ interfectos esse, cum ab obitu, circa umbilicum, totâque illâ parte inferiore, usque ad plantas venenato illo sanguine erubescant & interdum atro colore inficiantur, neque quicquam Epilepticarum convulsionum in plurimis spectetur, quamquam hoc morbi genus ex malitiâ vaporum inde halantium exoriri non est absurdum.

Lib. 6. de cruent. cada. p. 345. & seqq.

LXXIII.

An pulmo peculiarem vim movendâ habeat? Negatur.

Pulmonis motum à thorace esse, experienciâ constat. Nam si thoracem penetrante vulnere percussum aer ingrediatur, immobilis pulmo manet, quia thoracis dilatationem sequi non potest, aere se per vulnus in spacium inane insinuante. At integro thorace, ejus amplificationem sequitur pulmo, ob fugam vacui. (a) Verùm (addimus) natura necessitatem motus pulmonum agnoscens, ne confosso thorace, pulmonum dilatationem, quæ vacui fugâ fit, penitus impediat, eos pleuræ adnecti voluit, ut sic Pulmones necessariò thoracis dilatationem sequantur. (b) Et hoc ipsum, Archangelus, duplici experienciâ

tiâ probat. 1. Vidi in viro, inquit, mihi familiaris, qui è vitâ migravit, Pulmonem totum tenacissimè adhærescentem undique costis omnibus, & tamen in eo nulla erat spirandi difficultas. Quare sic tenaciter adhærescentes, necesse erat eos duci & reduci à dilatatione & astrictione thoracis. 2. Cuidam vulnus inflictum fuit, in latus sinistrum, amplum & patens, per quod pulmo & facilè videbatur & facilè tangebatur, qui flaccidus factus & in sese concidens non movebatur, ad motum thoracis, sed duntaxat tremere videbatur & leviter palpitare: ob eam quidem causam, quod capacitas thoracis aere externo per vulnus ingrediente implebatur. Quocirca cum non daretur vacuum, aere per vulnus intro misso, pulmo thoracis motum non sequebatur; ex quibus constare debet, cum pulmones bene affecti sunt, nec costis implicati adhærescunt, moveri fugâ vacui. Si enim flaccescentes & quasi corrugati persisterent pulmones, & thorax dilataretur: profectò inter pulmonem & dilatatum thoracem vacuum reperiretur: quòd natura summè abhorrrens & fugiens, præscripsit, pulmones moveri, scilicet dilatari ad motum thoracis fugâ vacui. Nam quando pulmones contrahuntur, non contrahuntur fugâ vacui, sed vel compressi à thorace coangustato, vel aere è pulmonibus, per expirationem exeunte, vel utroque modo.

a.) Galen. l. 8. de plac. Bartolin. instit. anat.

tom. l. 2. c. 9. Knobloch disput. anat. 8. quest. 2.
 Preibis. somatol. disp. 6. theorem. 10. Zwing.
 physiol. l. 2. c. 54. Verol. anat. l. 2. c. 3. Vesal l. 6.
 c. 4. de hum. corp. fabric. Laurent. l. 3. anat. c.
 12. Et quest. 20. hac habet: Nos cum Galeno,
 Et Medicis omnibus Pulmonem nec propriâ
 Et insitâ vi moveri volumus: ubi enim fibrae
 Et filamentorum robur? nec à facultate cor-
 dis pulsatili, quâ agitantur arteria: inter-
 mittit enim aliquando pulmonum motus. Et
 nunc rarior, nunc frequentior est, nunc tar-
 dior, nunc velocior, pro voluntatis arbitrio:
 nec à facultate animali, quia muscoli nulli
 adsunt, sed moveri existimamus pulmonem,
 motu accidentario, quia thoracis motum se-
 quitur, ad vacui fugam. Distent enim tho-
 race, impletur aere pulmo, Et amplificatur,
 contracto eodem, depletur Et concidit. b)
 Bauhin. l. 2. theat. botan. c. 26.

LXXXIV.

Affirmatur.

Non credendum ad motum saltem thora-
 cis moveri pulmones, sed propriâ vi eos mo-
 veri statuendum est. Licet enim Thorax non
 moveatur aut quiescat, quin Pulmo quoque
 moveatur & quiescat: tamen neutrum alteri
 principium motus est, sed ideo saltem semel
 fiunt, quia in unum finem conspirant & desti-
 nati sunt. Quàm primùm enim pulmo attra-
 hendi

hendi aeris necessitatem percipit, mox vis eius naturalis attractrix excitatur, & aerem attrahere conatur. Ut verò id commodè præstare possit, & locum inveniat, in quo dilatetur, facultas animalis simul, cum pulmo movetur, thoracem movet & attollit; postea, depresso pulmone, iterum thoracem comprimit. Neque solùm simul fiunt, sed & proportionem quandam inter se servant. Distenditur enim pulmo, ut aere repleatur: verùm tantum aeris attrahitur, & tantum dilatatur pulmo, quantum thorax distenditur, & quantum thorax dilatatus spaciū relinquit. Et contra thorax, plus vel minus dilatatur, prout plus vel minus aeris attrahendum est. Sed non fit eius dilatatio, quia thorax extenditur; verùm suã virtute Pulmo dilatatur & impletur, tantum, quantum par est, ut vacuum evitetur. Vnde videmus in vivorum animalium anatomia, non solum pectore vulnerato, omnino motum Pulmonum durare: sed per vulnus etiam extra thoracem, lobos pulmonum extendi, & quidem suo motu ita moveri. (a) Ego, ante sexennium, plus quàm ducentis spectantibus, VVittebergæ; Pulmonum motum accidentarium, (ob fugam vacui) falsum esse ostendi. Nam vulnerato vivo cane, per horæ quadrantem, maximo impetu pulmo moveri conspectus. Quocirca ob ingenitam vim, pulmonem, veluti cor & arterias, moveri, est verisimilius. (b)

F 5

a) Sena

st. 2.
ing.
l. 6.
at. c.
leno,
pria
fibre
cor-
ter-
s. 6
tar-
rio:
nulli
nem,
m se-
cho-
tur,
b)

ora-
mo-
non
que
lteri
mel
esti-
tra-
ndi

a) Sennert. institut. l. 1. c. 11. b) essen.
anatom. p. 73. b.

LXXV.

Ulterior affirmativa assertio.

Creditum est hactenus, magnum illud viscus, quod in inspiratione dum thorax distenditur, attollitur, aereque undique impletur, thoracisque spacium opplet, iterumque expirando, pectore constricto in se subsidet, cōsciditque, aeremque follis alicujus instar per asperam arteriam, tanquam canalem efflat, non aliâ illius vi, sed saltem ad evitandam fugam vacui, ad motum thoracis voluntarium, qui musculis perficitur, se accommodare, pectoreque ampliato, ne vacuum relinquatur, spacium inane opplere; rursusque ab eodem thorace contracto, & angustato, comprimi, aeremque sic tanquam è folle exprimi. Verum, cum multa sint argumenta, quæ validum & magnum hunc Pulmonum motum, etiam ab innatâ illi quadam movendâ potentiâ procedere, ostendant, non immeritò, à vulgatâ & hactenus in scholis Medicis receptâ opinione discedimus.

Primum, quòd in moderatâ respiratione, quæ frequentior est, veluti cum non loquimur, aut sonum edimus, vel dormimus, thorax vix dum, vel saltem tantillum, ut ferè nò appareat illius motus, moveatur; atque talis
respira-

respiratio septi beneficio, ut plurimum perficiatur, pulmones tamen se dilatent rursusque concidant: ex quo apparet, thoracis cavitatem internam adeò amplam esse, ut etiam si thorax non vehementer, in respiratione se dilatet, pulmones nihilominus spacium movendi obtineant. Nec enim ob septi solius levem motum, hæc cavitas adeò ampliaretur, ut pulmo rotus se tantopere dilatare cogeretur: neque etiam totum thoracem tunc impleret, sed tantum infimum thoracis spacium, quod aliquousque saltem vacuum, ex septi motu fieret.

Dein & cum in Apoplecticis, motus voluntarius totius corporis penitus sublatus sit, uti & septi & thoracis, quomodo hisce immotis, pectoreque ne minimum dilatato, pulmo nihilominus movebitur, cum nullum vacuum hic, hisce non ampliatis occurrat; videamus tamen respirationem, eamque sæpè validam in Apoplecticis aliquandiu perseverare, pulmonesque adeò se movere, necessitate impulsos, ut & ad thoracem aliquousque extrorsum, ut se dilatet, non ex voluntate nostrâ, sed hac vi pulmonibus indita, impellant, cum alioquin ratione muscutorum, moveri minime queat.

Sed & magnitudo & pondus hujus visceris, quo ferè non est maius in corpore, motusque quem obit vehemens, ostendunt, Pulmonem

F 6

fuga

fuga vacui sola, nisi innata illi accederet vis, adeò attolli & dilatari minimè posse.

Vti & Cor ipsum, etsi inania circa ipsum sint spacia, nullo modo ob fugam vacui, sed propriis viribus, sicuti & arteriæ moveri constat.

Accedit & firmissima hæc demonstratio. Quòd etsi nullum in thoracis cavitate sit vacuum, tamen pulmo in respiratione nihilominus moveatur; sicuti vulnerato pectore, vulnereque patente longo tempore, videmus accidere, ut per illud aer subiens, spatium thoracis non sinat esse vacuum, & nihilominus Pulmo moveatur, quod minimè fieret, si ad fugam vacui moveretur, uti & follem percutum non ampliùs aerem, cum dilatatur, attrahere observamus.

Licet autem ex voluntate nostra respirationem aliquandiu continere, vel eandem etiam concitatiorè & frequentiorè reddere, pulmonumque motum, hoc thoracis motu, vel impedire, vel promoverè queamus, nec illud tamen eos ad fugam vacui moveri cõprobat, sed hoc tantùm sequitur, liberiùs eos ampliato pectore moveri, eoque constricto rectiùs in se subsidere, magisque verisimile, cum respiratio aerisque in ea attractio adeò sit necessaria, quæ pulmonibus perficitur, pulmones primùm innata vi ad motum concitari & voluntatem nostram moneat & impellere, ut thoracem dilatemus, ut pulmo re-

Quis

Etius in magnis præsertim ex sufflationibus se possit extendere, aeremque copiosius haurire. Ob quam causam, etiam nil de ea cogitantes, vel etiam dormientes, pulmo ad motum sponte impulsus, nos ut thoracem dilatemus urget.

Sicuti & in alvi dejectionibus accidere observamus, primùm naturalem intestinorum facultatem expultricem insurgere, & ad excrementorum propulsionem stimulum addere, eamque voluntatem nostram, ut suppetias ferat, excitare: quâ adjuvante, naturâque impellente, dejectio fit, similique ratione & urinæ emissio: & fetus expulsio, mistusque sic ex utrisque motus obitur.

Ita ob necessitatem illam inspirandi aërem, pulmones motu proprio dilatatos, si magna fieri debeat inspiratio, ut thorax ex voluntate nostra illi cedat, voluntatem nostram sollicitare, rursusque in valida exsufflatione, thoracem ut pulmones validiùs illud agant, veluti follem manibus solemus, ita hic thoracem comprimere animadvertimus.

Nec, quod validius hic pulmonis & magnus sit motus, eum non posse motu proprio hoc efficere, sed fugâ vacuï, comprobare poterit, cùm naturales aliqui motus, ut nutritioni & generationi inservientes, non apparenter & sensim fiant, sed & hoc etiam validè propriis viribus, motu naturali, nullâ acce-

stente fugâ vacui, in cordis & arteriarum motibus fieri videmus, adeò interdum violenter, in cordis palpitatione, ut costam inde disruptam, seu potius, ut nos putamus, luxatam testetur Fernellius. (a)

Imprimis etiam Pulmonis cum corde & arteriis connexus, vasorumque mutua communicatio, è quibus vena scilicet arteriosa, atque arteria venosa, pulmonum substantiam magnâ ex parte constituunt, vim hanc illi à corde subministrari posse, ut motu etiam proprio moveri queat, demonstrare & comprobare videntur. Eoq; magis, quòd & fungosa pulmonû, apta ut dilatetur & subsideat, sit substantia.

Non negamus interim, voluntarium hunc thoracis motum, cum naturali pulmonum, in respiratione sic concordare, ut thorax se dilatando pulmonibusque cedendo, amplius spacium, quò si pulmones latius extendere aëreque impleri valeant, efficiat; & dum concidit, pulmones comprimendo, ut majori impetu, follis instar pressi, aërem in valida expiratione exsufflent, adjuvet. Vti & quòd pulmo thoracem aliquo modo possit impellere, ut si vel non opus sit thoracem universum in levi respiratione moveri, nihilominus illi tantillum cedere possit, vel cùm omnium motus ipsius, uti in Apoplexiâ, est abolitus, tunc Pulmonum motu tantùm perseverante, thorax
quo-

quoque ab illis impulsus, nonnihil assurgat.

Magnum argentum etiam hoc est, pulmones non fugâ vacui, sed spontè moveri, quod etsi portio illorum aliqua, interdum etiam major, adeò ut sæpè penitus ferè vel semî absumptus in Phtificis deprehendatur, nihilominus moveatur, cùm tamen tunc vacuum, quod thorace dilatato, in eo sequitur, adimplere minimè possit, quod tamen requiritur, si aliquid fugâ vacui, sequi & in illius locum cedere debet. (b)

a) l. 5. patholog. c. 12. b) Plater. in quest. physiolog. quest. 29.

LXXXVI.

Pulmo cur dilatetur.

Pulmo non dilatatur, quia repletur, (a) sed repletur, quia dilatatur. Si enim dilataretur, ob repletionem, sicut vesica, quæ inflatur: aliunde aërem in pulmonem immitti, & quasi inflari necessum esset: sed repletur, quia dilatatur suapte naturâ, ad modum follis scilicet. Id quod non solum in vivorum sectione apparet, ubi aperto & vulnerato thorace, neq; ratione vacui, & ad motum thoracis solum, pulmo movetur; neque ipse thorax sua dilatatione aërem, qui consequenter pulmones impleat & dilaret, attrahere potest; utpote qui vulneratus & aptus sit & ratione vacui aë-

REM

rem attrahere non possit: verum & ex eo colligi potest, quod in quibusdam cerebri affectibus, in quibus motus thoracis aboletur, respiratio nihilominus superest, eaq; sæpè tam levis, ut vix per plumam ori admotam possit deprehendi.

Sennert. l.c.

LXXXVII.

*An Diaphragma sit causa
Risus?*

Plinius l. ii. c. 37. Aristoteles l. 7. de part. cap. 10. scribunt, vulneratis in bello, circa præcordia risum accidisse præter naturam, sine dubio ob calorem Diaphragmatis excitatum à plaga sive vulnere. Est enim titillatio Aristoteli nihil aliud, quam Risus, ex partis, quæ subter alas est tractatione, quâ perculsum cor calorem ad vicinum diaphragma transfundit. Quamquam & in aliis corporis partibus titillatio accidit, ut in plantis pedum & aliis, unde tamen diaphragmatis concussio ita manifeste non fit, neque tam copiosa spirituum effusio, sed & antequam quidem tangentur, titillationis sensum sibi percipere videntur, quoniam Cor futuram molestiam propulsurum, spiritum & calorem ad vicinas partes emittit, ut titillatio oriatur. Minus autem facile si seipsum quis titillat, quia contractatio ista, cû propria sit, sensum quodammodo

modo effugit, & ad arbitrium quoque inter-
mitti potest. Ritus igitur, qui vulneratis illis
accidit *κατὰ φύσιν* planè fuit, de quo etsi tan-
quam de comperto pronunciat Plinius, Ari-
stoteles nihil certi affirmat, hoc solùm ad-
dens, quod magis *ἀξιωματικόν* sibi id videatur,
quàm quod à quibusdam traditum est, caput
hominis de cervice præcisum locutum fuisse,
quod fieri posse disertè negat. Eiusmodi risus
præter naturam est Sardonius, ab herba Sar-
doa conciliatus, quâ vescentibus nervi con-
trahuntur, & os variè deducitur, ut ridentium
facie intereant. Alius verò est Ritus *κατὰ φύ-
σιν*, isque ex causâ externâ vel internâ est. Ab
externâ causa est, qui ex titillatione fit dia-
phragmâ calefaciente, quando quis aliquem
ex improvise tangit; vel ab internâ causa Ri-
sus est, qui gaudium comitatur, quando
nimirum cogitatio vel memoria rei jucun-
dæ cor ex voluptate perfundit: Unde Plato
ait, quod Ritus ex voluptate cordis oriatur,
quæ voluptas cum *ἡσυχία* quadam aut ca-
lefactio sit Aristoteli cor suaviter afficit, ut se
dilatando spiritus & calorem copiosorem ef-
fundat, quo calefactum & titillatum quasi
diaphragma fibratur, simulque muscoli tho-
racis & faciei commoventur, ut diducto ore
spiritus emittatur. Itaque

Ritus naturalis definitur,
quod sit vibratio Diaphragmatis & musculo-
rum thoracis, atque oris facta, conferta & ple-
na ca-

na caloris & spiritus è corde & pulmonibus effusione, cum sono aut voce, ad significandū gaudium, quod ex re gratâ in corde existit. Nec tamen Rîsus fit gaudio, alioqui is brutis quoque inesset, sed ex gaudio cum admiratione quadam, quam novitatis species parit conjuncta, quæ causa est, quod

fatui & pueri ad risum magis sunt proclives,

quoniam iis ob rerum imperitiam omnia nova & insolita esse videtur. Rîsus autem qui per iram fit, oris tantum affectus est, neque diaphragmatis, aut musculorum thoracis agitatione perficitur.

Knobloch disput. 9. anatom. sub fin.

LXXXVIII.

Admirabilis Patris ad Filium antipathia.

Pater quidam ita averfatus est filium ex conjugè legitimâ suum, ut aliqui solent feles, idque tum à partu statim, tum posteriore ætate, etiam mutato temperamento qualitatium elementarium. Nam cum juberetur recens natum amplecti, abhorruit, nec postea tulit ejus præsentiam in eodem cõclavi, absque lipothymia. Iam enim duodenarius, duodecim aliis similiter vestitus non admonito patre, cum satis jam diu, in convivio ministrassent reliqui, ipse interim tanquam qui prius

prius quoque mensæ astitisset, intravit. Sed dum conspectus à patre, ipseque etiam ignorans, quinam esset inter convivas, intulit eî pristinam affectionem, lipothymia cum angore sudoreque invadente. Itaque iussus discedere filius, perpetuo postea divortio à Patre est sejunctus. Narrabat Ienæ fide dignus Georgius Mylius Theologus.

Lib. 8. l. 2. singul. p. 116.

LXXIX.

Esu radicis Angelicæ sylvestris, Epilepticus factus; folia Sinovici dicata.

Puer 5. annorum, alioqui valdè agilis, cum jejunus esset, ac radicem Angelicæ silvestris comedisset, ingenti dolore stomachi correptus, mox Epilepticus concidit, corpore toto, ac manibus simul convulsis ad 5. horas: qui tandem difficulter à me curatus fuit. (a) Folia in vino decocta, si illud bibatur & admoveatur, admodum probatur in ulcere **Gliedwasser** eddente. (b)

a) *Forest. l. 18. schol. ad obser. 23. b) Planzer. de dol. p. 918. Sinovici unde deducta sit vox ignoro. Iosquin. Dalhem. Ostofrancus. qui Paracelsum latinè reddidit 1. part. Chirurg. magna tract. 2. c. 11. & Felix Wirtz. Chir. Basiliensis. part 3. chirurg. c. 5. sub eâ voce DAS Gliedwasser intelligunt. Fabric. epist. cent. 1. ep. 53.*

Anisa

Anisi Vis in pueris. 2. diuretica.

Vsu comperi, à seminis Anisi scriptulo crasse comminuto, jam recens natos puerulos commodissime à viridi bile & foeda pituita purgari, (non aliter ac si senior Rha - Barbarum sumisset) cum pulvere saccharatam sumunt, primo cochleari inditur, ac illis exhibetur: clamorosos ventris dolores quoque & tussim sedat. (a) Comestum foetidam urinam reddit, propter humorum putridorum colliquationem. (b)

a) Heurn. Meth ad prax. l. 2. c. 26. sub finem. comment in sph. 24. lib 3. b) Zwinger. l. 2. physiol. c. 50. p. 683. & 691.

Ex strictioribus, arctioribusq; infantulorum involucribus, gibbositas.

In quibusdam regionibus & familiis moris est, ut infantulos statim à partu involvendo (nescio quibus de causis) fasciis arcte nimis stringant. Unde saepius evenit, ut eorum corpora & artus gibbis, aliisque deformitatibus genuum ac tibiarum &c. protuberent. Quin autem ob strictiorem involutionem id accidat, non est, quod quisquam dubitet: siquidem ossa adhuc tenera, mollia & cartilaginosa.

ginosa facile retorquentur, extraque sedem naturalem reprimuntur, quæ dein paulatim excreſcentia indureſcunt, id quod ego in multis obſervavi. Nutrices quoq; nonnunquam ſtudio infantulorum decorandorum gratiâ (ſicuti ipſæ quidem exiſtimant) capita eorundem faſciis auctius conſtringere conſueverunt, ut in longitudinem excreſcant. Sed quæ admodum gibbus pulmonem opprimit, atque difficultatem anhelitus ſeu aſthema parit: ſic quoque cranio compreſſo & in longitudinem extenſo, cerebrum ejuſque ventriculi ſimul comprimuntur. Vnde ſpiritibus non ſatis præparatis atque elaboratis, caput debilitatur, catarrhisque fit obnoxium. Et ſi huiusmodi pueri adoleſcant, quod tamen rariùs accidit, ingenio ſunt tardiori, hebetiorique.

Fabric. cent. 2. obſer. 99. Sennert. l. 2. inſtit. part. 2. c. 13.

XCII.

*Odium inter Filicem & Arundinem
unde?*

Filici & Arundini illæ ſunt inimicitia, ut altera alterius copia circumſepta veluti inimicâ manu oppreſſa intereat, quod experimentum probat. Si enim, ubi Filix veteri jam ſtabiliq; hospitiò plures egerit annos, Arundo quoque ſeratur, ita ut Filicem ambiat; ubi
pro-

profecerit, excreveritque Arundo, exarescit
 Filex, id quod quidem adscribi naturæ soli
 non potest, quando eodem in loco ille antea
 exultabat. interior igitur hujus erit causa
 maleficii, eaque non alia, quam peculiaris
 formarum facultas, invicem adversa, cujus-
 damque veneni vices gerens. Sicque continua
 halituum suorum efflacione Arundo quasi
 regulus quidam Serpens Filicem interimit.
 sic è converso Filix si Arundinem ita interci-
 piat, ut illam numerosâ sobole exuperet, ini-
 mico suo halitum eam necat. atque adeo hæc
 privatâ suarum formarum vi in hunc sese mo-
 dum odio mutuo prosequuntur. Sed fors, non
 aliud inter Filicem & Arundinem inimicitias
 parere putandum est, præter alimentum. Fi-
 lix enim pingua sponte amat loca; Arundo
 macris felicius provenit, proptereaq; si utra-
 que pingui macrove constiterint loco, tabe-
 scere earum alterum oportet.

*I. Costaus de univers. stirp. nat. l. 1. c. 23. l. 2.
 c. 15. Dioscor. l. 4. c. 165.*

*Arundo contrist. & imposita, corpore fili-
 cis stirpem extrahit, item arundinem filicis
 radix. Plin. l. 24. c. 11.*

XCIIL.

Vanitas de Filicis semine.

Falsum & commentitium haud dubiè est,
 quicquid Neoterici aliqui de Filicis semine
 fabu-

fabulantur, quòd scilicet unâ Solstitiali nocte
 floreat, eademque horâ, cum defloruit matu-
 rum in terram semen cadat: ideoq; nisi quis-
 piam tunc affuerit, nec videri florem, nec col-
 ligi semen posse, tum quia incredibilia sunt,
 tum quod omnes, Theophrastus, scilicet Ga-
 lenus, Dioscorides, Plinius, sterilem & sine se-
 mine dixerunt. (a) Neque etiam Medici,
 vel Arabes, vel Persæ ad magicas vanitates
 nati, seminis hujus meminerunt. Quapropter
 omnia hæc Agyrtarum commenta esse videan-
 tur, humanæ ignorantia, ad quæstum impu-
 denter illudentium, quæ certè vel unâ hac ra-
 tione abundè satis confutari possunt, quòd
 cuncta illa fieri & observari, natali nocte D.
 Joannis Baptistæ præcipiunt, cum natalis ea
 nox & solstitialis illa 12. dierum numero nunc
 inter se distent. (b)

a) *Casalpin. negat l. 16. c. 2.* b) *Fuchs. in
 histor. plant. c. 229.*

*Filices mas, & fœmina, flore, semine &
 caulibus deficiunt, & sicuti tristes mero
 folio contentæ sunt: neutra danda gravidis:
 nam abortum inferunt; si ceteris, in totum
 steriles redduntur: earum vires Natura ste-
 rilitate addidisse putatur, Theophrasti au-
 toritate. l. 9. hist. 20. Plin. l. 27. c. 9. immò quæ
 eas super gradiuntur, abortiuntur. Porta
 l. 6. Phytogn. c. 1.*

Plum-

XCIV.

Plumbum liquatum ut manu tra-
ctetur.

Hybisci radicem, Portulacæque ac Mercurialis succum, cur manus ad liquatum plumbum impunè tractandum muniant, quis intelligit: Et suspicari quidem licet, hæc tùm suâ frigiditate hebetem sentiendi vim reddere; tùm lentore quo manum veluti tunicâ quadam vestiunt, ignis arcere injuriam: tùm etiam ob inductam manui lenitatem fusum metallum facilius delabi, minusque hære, quàm, ut subire in manum calor valeat, ex quâ causâ Philosophus eos calidæ perfusionem aquæ minùs sentire ait, qui peruncti sunt oleo. Cæterum quando hos effectus Solanum superioribus frigidius, glutinosiusq; non præstat, habere superiorem causam videtur, & non temerè referri in formam.

Costeus de univ. stirp. nat. l. 1. cap. 25. l. 2.
cap. 24.

XCV.

Elephantus, ejus genera, nomina
& qualitates.

Elephantus terrestrium omnium maxima bellua, sed non maximè bruta. Sensu enim intellectusque, cum per se, tùm ad disciplinam maximè viget. Lunam salutare, postquam aspersu

asperfu aquæ sese purificârint, quod inter nar-
 rationes Græcas referendum censeo: addunt
 & solem exorientem certis gestibus adorare.
 (a) Barrum Afri vocant. Latini, quia primi,
 ab ipsis, in Lucanis, Pyrrhi Regis bello visi
 Lucas Boves appellarunt. Eorum Indi maxi-
 mi qui Prassii dicuntur, novenûm cubitûm
 altitudine, quinûm latitudine, proximi qui
 Taxilæ vocantur: sunt præterea Africani: de-
 inde Arabes minimi, quos nothos vocant. In-
 dorum Taprobanici præstantiores sunt, quàm
 qui in Continenti oriuntur. Durissimum ter-
 gum, rarissimus pilus contigit: etiam in cau-
 da non multûm frequens, quam suillæ specie
 gerit: cutis cancellata. Promuscide pro ma-
 nu utitur, quam etiam in eo manum vocant:
 oculis pro corporis ratione parvis: auriculis
 demissis: dentibus duobus, ut Apris exertis
 maximis: ob quos ajunt se peti scire: quare
 visis venatoribus primos constituunt, quibus
 minimi sunt dentes, ut minuant existimatio-
 nis spem: tandem circumventi frangunt ad
 arborem, ut sese redimant prædâ: horum si-
 tum Aprorum dissimilem quidam ajunt, cum
 horum sursum, eorum verò deorsum spe-
 ctent: quod falsum est: quamquam fæminas
 tales gestare dicat Aristoteles. Olim summo
 in precio Ebur: nunc summa vilitas. Expeti-
 tur rarò ulli operi, præterquàm pectinum.
 Dentium usum atque officia eos partiri a-
 junt. Altero radices fodiunt: alterius mu-
 cronis

G

croni

Mer-
 plum-
 uis in-
 c tum
 edde-
 tunicâ
 : tum
 fufum
 arere,
 at, ex
 fusio-
 runcti
 us So-
 siusq;
 i vidē-

25. 7. 2.

ra

maxima
 nim in-
 plinam
 stquàm
 asperfu

cronis parcunt ob pugnandum: eorum candore juvena dignoscitur: pedes habent priores posterioribus majores, quibus digiti quinque informes & indivisi insunt. Nigro sunt colore, candidum unum legimus in monumentis litterarum. Eumque pro altore suo ita pugnasse, ut fugatis insectatoribus, partim etiam occisis, levatum terrâ in stabula detulerit: in Ætiopia infima ajunt Elephantos esse maximos eosque omnes albos. Illud non minus miraculum, aut mendacium: non transire maria, nisi promisso reditu, etiam jurejurando. At docilitatis esse miræ, ac jussa facere certum est. Saltare ad tibiam & tympanum: (a) at noctu meditari præcepta, quæ interdiu dictata sunt, nescio cuti, aut quomodo id cognitum esse possit: nosse autem sua nomina, cum canibus id commune habent. Maximæ sunt memoriæ, agnitumque in senectâ ab eo eum, qui in juvena rector fuisset, constat. Item accipere stipem à populo, & Rectori porrigere: unum etiam finxisse iram, atque arrepto puero, elatoque in altum non amisisse, metu per jocum hæctenus facto. Ivisse verò per epulantium triclinia sine nocumento, mihi incredibile fit: neque si vellet, tanta moles posset: ut taceam eos per funes incessisse à Plinio (b) scriptum: quæ enim contentio, aut qui demum funis tam bello funambulo satis esse, videatur? ut & perfidus sit aucto mendacio. Averfos quoque subire

bire funes, atque etiam regredi, victum victoris vocem fugere credibile est: sic facit Gallinaceus & Canis. Terram & Verbenas porrigere qui credit, etiam Elephantum homini præferat. Oderunt adulteria, quàm qui maximè, ut ea etiam nonnunquam detexerint: ferunt quoque, eos adulteros deprehensos transfixisse: alii addunt transfixis illis veste stragulâ turpitudinem contexisse: advenienteque alteri suo relicto operimento uxorem mœcham, atque adulterum ostendisse. (d) Cum amnes tranant, vitulos tenellos, vadandi invalidos, dentium eminentiâ sublucatos, ad frontem ferunt. Quod officium minor quare Matribus attribuerint, cum famini dicantur ab Aristotele, ut à nobis relatum est, dentes non sursum, sed deorsum spectare, superiori de maxilla demissos. Algoris impatientes sunt: aquas amant, (sed profundiores (e) horrent) atque earum frequentes incolæ. Negat Aristoteles, præ ponderis vastitate natare posse, sed vadare extante extremâ promuscidis orâ, per quam spiritum recipiant. Sed hoc falsum est. Nam Balæna longè vastior, tamen natat. At Balænae natatus à naturâ datus: nam quid in mari ageret. Elephanto autem inutilis, nisi aliquando ad transfretandos amnes. Satis habet si aliquantulum nandi facultatis habet pro necessitate. Qui verò scripsere, in digitos pedes divisos esse, verum prodidere: at cum reddunt sic; ex

G 2

quo

quo fit, eos minimè habiles ad natandum, digni non sunt, qui refellantur. (f)

a) *Ioach. Camerar. cent. 2. emb. ex qua-
trup. embl. 1.* b) *Plusarch. regi tòχης.* c)
*l. 8. c. 2. G III. Seneca epist. 86. Sueton. in
Neron.* d) *Ælian. l. 10 c. 15. l. 8. c. 17.* e) *Li-
psius l. 1. epist. 50.* f) *Scalig. comment. in A-
rist. histor. de anim. l. 1. text. 94. l. 2. text. 133. l.
9. text. 495.*

XCVI.

*Elephantos Venandi multiplex
ratio.*

Venandi multiplex ratio, alii cicuribus in-
fidentes feros insequuntur: pugna commissâ
detatigatos conscendunt ac regunt: alii ex-
cella arbore occulti, in prætereuntis dorsum
extremum desiliunt: appensâque caudâ quam
celerrimè possunt poplites succidunt: ali-
quando eliduntur belluæ ruinâ: alii in con-
vallem manu factâ, longâ fugâ agitados im-
pellunt, ibique conclusos domant: alii arcu-
bus humi fixis ingentibus, multâ operâ con-
tentis, jacula procul dirigunt: vulneratum
sanguine observato tandem adipiscuntur.
Mirum quod addunt, cum in foveam unus
delatus sit, ab aliis aggerem in cavum ingeri,
ut sternutatur iter exituro. Argumentum a-
missæ feritatis, ramus à domitore pacatè ac-
ceptus.

ceptus. Quamdiu rectore infidentur, parent
 omnes. At ille ubi defiluerit, non omnes ser-
 vant mansuetudinem. Itaque catenis vinci-
 untur, præsertim pedes primores, verberibusque aliorum Elephantorum castigantur.
 Turriculas ipsis imponunt, in quibus duo
 cum minimum propugnatores: tertius regit
 belluam, voceque jubet quid agendum ei sit:
 ad xv. armatos etiam ajunt aliquando visos
 gerere: mollius incedit juvenis Elephas: a-
 dultis fluctuat dorsum: genua flectit sessorem
 accepturus dorso: neque loro aut frano re-
 guntur, sed jussu tantum. Alii foveis instra-
 tis frondibus incautos excipiunt: fameque
 domitant: hordei succo facilè mitescunt.
 Neque verò semper eos fallunt foveæ: sed a-
 nimadversis illis, tum vitant, tum circuma-
 ctio itinere directò in venatores impetù faci-
 unt: visa est femina Elephas, cum soboles in
 foveam incidisset, sese in eandem dedisse præ-
 cipitem. Cateri profligati conferto agmine
 abeunt: mutilis inutilibusque in medium re-
 ceptis pro eis pugnant. Haustâ hirundine ve-
 hementer cruciantur hærente peste visceri-
 bus. Ignem quoque magnopere exhorre-
 re perhibentur: itaq; eos incensis silvis circum-
 ventos capi. Mares tamen alii animosiores,
 alii feminas dixerunt, atque oneribus por-
 tandis firmiores: tanta est inconstantia men-
 daciorum. Alia venandi ratio, feminas, ad



quarum auditus cum irruant mares, per pontem eo consilio factum ingrediuntur. Tum venatores pontem demoliuntur: illi cadunt: domant circumsectâ colli cute, &c.

Scal. comment. in Arist. hist. de animal. l. 2 c. 18. text. 133. Sebast. Münst. cosmograph. fol. m. 805.

XCVII.

Elephantes se mutuò intelligunt: aliquando loquuntur: scribunt.

Vulgaris opinio est, in provincia Malabar Elephantos se mutuò intelligere. Loquatam autem aliquando in Vrbe Cochin (quæ illius provinciæ nobilis civitas est) publico testimonio constat hoc modo.

Elephas quidam in littore maris urbi vicino laborare solitus, jamque laboribus fessus, domum redire properabat, ut quiesceret: præfectus verò illius urbis orabat illum, ut in labore pergeret, atque liburnicam, quam jam commovere inceperat, in mare traduceret: renuentem Elephantum Præfectus denuò compellare, blandisque verbis demulcere cepit, id in suam gratiam faceret, ita enim decere, quandoquidem in servitium esset Christianissimi Regis Lusitaniæ. Hic Elephas motus, clarè hæc duo verba ingeminat, Hoo, Hoo,

Hoo, quod Malabarum linguâ est, volo, volo, ac sine morâ navim traxit in mare.

Elephanti cuidam ad horam cibus non oblatus. Queritur & barrit. Magister excusat, & vas æneum ejus cibarium ostendit perfluens & pertulum, causam hanc moræ esse, quod cibi non ultra tenax, jubet igitur, si esse velit, ad fabrum ferrarium ferat reconcinandum. Ille paret, promuscide aufert, fabro offert. Cacabarius negligentius reparat. Elephas refert. Herus vitium videt & indignatur, inclamat illum absentem, huac præsentem, denique redire jubet, cum illo ipso vase. Facit, & fabro querulus impingit. Ille homo suavis iterum imponere conatur, & admoto malleo claudere rimam simulat, non claudit. Nectamen imponit. Nam ille catus lebetem resumptum ad flumen defert, immergit & aquâ implet, periculi faciendi causâ. Videt effluere. Plenus igitur irarum ad fabrum recurrit, intonat magnâ voce. Confluunt vicini & inter eos vicarius regis. Faber blandis verbis demulcet belluam: vas denique sumit & refingit probè atque ex fide. Sed ille ne tum quidem fidet, iterum ad flumen & ad haustum, dum contineri aquam videt, vertit se ad stantes ostendit, velut testes eos advocans in hoc factum, ita demum abiit domo. (2)

Grandia hæc, grandia: tamen de illis artibus quid dices, quæ non nisi propriæ videntur

tur humanæ mentis? legere aut scribere, quis ab homine sejunget? ego: nisi si elephas inter eos. Nam is quoque scribit. Plinius è Muciano clarè adfirmat, quemdam Græcas litteras pingere didicisse, eâque linguâ scripsisse. IPSE EGO HÆC SCRIPSI ET SPOLIA CELTICA DICAVI. Et Philostrotus: Scribunt igitur. Quod si hos duos testes elevas, Æliano quid facies (b) qui oculis suis id spectasse pænè per oculos suos jurat? Vidi, inquit, ego ipse, quemdam in tabula litteras Romanas promuscide scripsisse, ἀσραβῶς καὶ ἀτρεπτός (rectè & non contortè) Quin etiam cùm scriberet, oculi ejus cum rigore dejecti in tabulam erant: ut planè intentos diceres & scriptitantes. (c)

a) Christoph. A Costa de Aromat. p. 22. b) l. 2. c. 11. c) Lipsius l. 1. epist. 50.

XCVIII.

*Elephantum beneficiorum memores, gloria
ab eis, vindicta cupidis.*

Naturâ gratus est Elephantus, beneficiorumq; memor, nec cuiquam nocet, nisi injuriâ affectus, aut dum certo morbo corripitur, quo veluti in furias agitur, quod singulis annis fieri solet: tùm enim nemini parcunt Elephantis, sed obvium quemque proterunt.

Accidit in Vrbe Goa, in qua legati Regis Lusitaniæ, qui regiam potestatem obtinent, degere solent, ut unus ex Elephantis, qui istic

ad Re;

ad Regis servitia aluntur, huiusmodi morbo correptus, vincula & catenas (nam solent ferreis catenis constringi & loco quodam concludi donec morbo liberentur) disrumperet & per urbem vagaretur: fugientibus verò omnibus, mancipium quoddam in ulnis filiolum gestans in platea obviam habuit, quod conspecto Elephanto exterritum ad suas ædes celeri cursu confugit, quas ut aperiret, filiolum humi ante januam exponit, moxq; ædes ingressum januam occludit, præ metu filioli oblitum: Elephas puerum conspiciens, promuscide leniter sublevans, in proximum humile rectum, quod è regione istarum ædium erat, collocat, atque aspicit, an puer istic sine damno consistere queat, deinde furibundus ulterius progreditur: beneficii memorem, tametsi furens, sese ostendit hic Elephas, qui puerum non necavit, sed agnoverit filium eius mulieris esse, quæ eas ædes inhabitabat, quæq; illi & aliis domesticis Elephantis, quotiescunq; istac transirent, panem aut fructus dare solita erat: nam huiusmodi cibos & alia edulia, ante suas ædes venalia exponebat.

In ejusdem Vibis foro vagabatur huiusmodi furiis correptus Elephas: vir quidam æger effugere cupiens pronus cadit, Elephas minime ei nocens promuscide comprehendit, & in scamno quodam deponit. Aiebat hic vir, eodem loco, illi ipsi Elephanto, antequam in morbum incideret, magnum quendam fructum.

Iaca Incolis appellatum, suâ manu præbuisse. Gloriæ avidi sunt Elephanti, cujus causâ interdum mira facinora præstare conspiciuntur. Nonne in littore urbi Goa vicino quidam crepuit medius, dum solus magnum æneum tormentum bellicum sublevare cupit? quoniam ipsius rector gravibus verbis objurgasset & contumeliâ affecisset, ostendēs illi duos juniores Elephantos adventantes illius ænei tormenti tollendi gratiâ? Vti beneficiorum sunt memores & gloriæ avidi, non minus vindictæ cupidi esse deprehenduntur.

Miles quidam Cocci sive nucis Indicæ putamine domesticum Elephantum petiit, eumque in fronte attigit: Elephantus putamen colligit, & cum eo tempore injuriam ulcisci minimè posset, in os recondit, donec elapsis aliquot diebus militem in platea quadam deambulantem conspiceret, tum demùm promuscide nucis putamen ore eximit, atq; militi vicinior factus, in ipsum conjicit, deinde abit, veluti lætus, quòd injuriam sibi illatam ultus esset.

Alius quidam miles, in eadem Vrbe Elephanto suum rectorem injuriâ affecisse visus est, quòd ei in via minimè cedere voluisset: eam injuriam ulcisci cupiētem rector vetuit. Post aliquot dies ministeria quædam in littore Mangate fluminis (quod Urbem Colchiam alluit) absente suo rectore obiens, militem cum aliis quibusdam sermones conferentem

COR-

conspicit, promuscide eum corripit; nec eorum qui ipsum rogabat, ut militem dimitteret, voces moratus, aliquoties flumine merfit, subinde eum in altum sublevans & aquam quâ madebat defluere sinens: deinde cum injuriam suo rectori illatam probè ultus sibi visus esset, militem quo comprehenderat loco, denuo in pedes sistit.

A costal. c.

XCIX.

*Cur Elephas, quo magis est oneratus,
eò firmius incedat.*

Narratur hoc à nonnullis scriptoribus, eò firmius incedere Elephantos, quò majore onere sunt oppressi. Ratio autem videtur alligari posse ea, quod (cum teste Alberto sit animal adeò robustum, ut etiam 12. in tergo viros, vel ut aliis placet, 30. cum victu, armis & instrumentis bellicis portare queat) ubi leve gestat onus, id ob corporis robur & oneris levitatem non sentiat, & idcirco etiam segnius quasi incedat, contra verò, quod suas, ubi majori aliquo est gravatus pondere, robori suo conveniente, vires omnes exerat & ingrediatur firmius, non secus, ac videmus viros strenuos & fortes eò magis suam exercere virtutem, quanto plures eum circumstant res adversæ.

Cur

C.

Cur Elephanti maximè fugiant murem

Constanter id asseverari legimus ab Elephantorum curatoribus. Causam autem crediderim in eo sitam esse, quod mus sit fatidi mucidique odoris; dum nempe in parietum foraminibus & aliis terræ cavernis delitescit, nec liberè ipsi super terram vivere licet: contra verò Elephas animal sit exquisitissimi odoris, quod nullum possit ferre fatorem, sed maximè delectetur fragrantia: unde Elephas merito ceu animal, exquisitissimâ odorandi vi præditum, gaudensq; fragrantia, à mure tanquam fatidissimo & mucido animali ita abhorret, ut etiam pabulum à mure tactum, fastidiat. Cæterum de emunctis Elephantorum naribus & exquisito olfactu mira scribit *Ælianus*. Tum, sagacissimè, ait, odoratur, tum acerrimis sensibus existunt, tum verò ex his partim subsequentes ordinatim eunt, atque horum primus narium sagacitate, herbam ante pedes suos positam sentiens, humanis pedibus esse transitum, evellit eam, & dat ei, qui à tergo proximus est, is rursus alteri, qui post eum stat, ac deinde per omnium quasi manus sagaciter contrectatur, quo ad illum ipsum, qui extremum agmen ducit perventum fuerit, is simul ac olfecerit, barritum edens, quasi signum ad fugam dat. Nec sanè absurdum hoc potest videri ei, qui considerat naturam Elephanto, promuscidem prælongam dedisse, quæ foramina habeat angusta, ita ut spiritus odoriferus diu in ipsis hæreat, nec facile dissipetur, quemadmodum in reliquis contingit animalibus, quibus nasus brevior & nares existunt breviores.

Reckerm. curs. phil. disp. 18. probl. 3. § 4.


Gratias Tibi Domine I E S U.


F I N I S.


nto-
n eo
oris;
erræ
n vi-
sitif-
, sed
erito
um,
imo
lum
Ele-
ribit
cer-
sub-
na-
tam
ellit
sal-
uasi
um,
s fi-
ad
ei,
lem
sta,
fa-
tin-
exi-














24 20459

(1-10)


TA-OC

ULB Halle
006 836 47X


3



Worm
MA





SYLLOGES
MEMORABILIVM MEDICINÆ, ET MIRABILIVM NATURAE ARGANORVM,
CENTURIA X.
 Studio & labore,
JOANNIS RUDOLPHI
 CAMERARII D. REIPVBLICÆ REITLINGENSIS Medici ordinarii.
 Θεωροῦσι δ' ἀπύκνωτοι ἄνθρωποι.

 SILBERDINÆ,
 Sumptib. EBERHARDI ZETZNERI, Bib.
 M. DC. XXIX.

